

DOMINICI AULISJ  
OPUSCULA.



DOMINICI AULISJ -380964

O P U S C U L A  
D E

Gymnasii Constructione,  
Mausolei Architectura,  
Harmonia Timaica, &  
Numeris Medicis.

*His accessit*

E P I S T O L A

De Colo Mayerano.



N E A P O L I ;

Ex Typographia Jacobi Raillard MDCXCIV.

*Superiorum permissu.*





ILLVSTRISSIMO, ET AMPLISSIMO VIRO

D. D. DIDACO  
VINCENTIO

A V I D A N I A,

Regii Sacelli Præsuli, & Gymnasii Neapoli-  
tani Præfecto,

Abbati S. Nicolai in Pergoleto, & in Bucifano, Catho-  
licæ Majestati a Consiliis, & Regio Chronographo  
Regnorum Castellæ, Legionis, & Aragoniæ,

*DOMINICVS AVLISIVS S. P.*



Ulli Opuscula hæc rectiùs nun-  
cupem, Vir Cl., quàm tibi,  
qui Gymnasio nostro præes, &  
cui me non solùm studiorum  
meorum, sed & otii rationem  
reddere par est. Exciderunt mihi pene aliud  
agenti inter statas Gymnasii cessationes; nam  
si quan-

si quando vacat a tot , tantisque Juris exerci-  
tationibus , quibus distringor , paulum velut  
itinere decedens , his diverticulis occupatio-  
nes, curasque meas distinguo, & ex interval-  
lo adolescentiæ meæ studia degusto. Quod  
libenti semper animo feci: faciam posthac  
alacrius , tuum videlicet exemplum sequu-  
tus, qui in illustri Sertoriano Gymnasio, quod  
patria tua Osca, Urbs Victrix, habet, non ita  
te totum Juri aut Civili , aut Pontificio , quo-  
rum utrunque tuis prælectionibus exorna-  
bas dedisti, ut optimas quasque alias artes iden-  
tidem non attingeres: imò omnibus te per vi-  
ces partiebaris, recte intelligens sine illis Ju-  
risprudentiam pro dignitate tractari, & illu-  
strari non posse: & qua es industria , & inge-  
nii præstantia & dexteritate, eam unam disci-  
plinam toto vitæ cursu excoluisse videberis,  
cui te pro tempore addixisses, ita scilicet in  
ea præcellebas; cum interim omnes peræ-  
que , idest optime, teneres: & in disparibus  
studiis pari semper cum laude versatus sis. Si  
tantæ ingenii dotes, quibus emines solus, mi-  
hi tributæ non sunt, & tantam industriæ felici-  
tatem, quanta tua est, assequi non licet; li-  
ceat tamen , quod unum reliquum est , tua  
per

per vestigia niti, ut si quò velim pervenire  
non detur, perveniam tamen quò possum.  
Multa quidem commentatus sum in vario li-  
terarum genere: sed dum conceptæ de me  
expectationi satisfacere posse diffido, dum  
varia rei domesticæ intentione distrahor, illa  
omnia jacent, & ultimam manum expectant:  
quam, nisi otium nactus sim, vereor ut un-  
quam habitura sint. Ne putes tamen, hæc  
tanquam specimina ad te mitti, ut emenda-  
tiora, aut meliora reliquis; & ipsa enim  
sine nitore sunt. Sed animum fecit, quòd  
*διδασκαλικὰ* hæc, ut plantæ quædam natura agre-  
stes & feræ, cultum refugiant pene omnem,  
contenta doceri. Fecit & illud, quòd ex ip-  
sis quædam probata olim fuere, paulò ante,  
quàm e vivis discederet, acris judicii viro, D.  
Felici Espinosio, tibi pernecessario, mihi ami-  
cissimo, cujus memoria (quod & singularis  
ejus humanitas, & eximia doctrina postulat)  
semper honorata, semper etiam acerba mihi  
animo inhærebit. Sunt hæc Opuscula nu-  
mero quatuor. In primo de veteri Gymna-  
sio disputatur: cujus descriptione ignorata,  
multa, quæ vel ad Artem Gymnasticam, vel  
ad Gymnasticam Medicinam pertinent, in-  
tel-

telligi, & explicari recte non possunt. Quod alio Opere re ipsa probabimus, in præsens ejus Architecturam ex Vitruvio proposuisse contenti, ut appareat quæ ejus pars Athletis, quæ literarum Professoribus tributa sit: quæ discipulis, ut suas disputatiunculas, quas *leschas* vocabant, celebrarent: ubi locatum, Balneum fuerit, ubi frigida Lavatio: ubi demum Platanones siti, inter quos & athletæ, & studiosi animum relaxabant. Hæc enim omnia in uno Gymnasio erant, partim animi, alia corporis exercitationibus, & saluti destinata. Opus, sive ædificii magnitudinem, sive oleum athletis, sive alimenta tot hominibus, qui ei regendo, & administrando erant, præstanda attendas, infinitæ impensæ, quam non omnes Civitates ferre poterant, sed nobilissimæ solùm. Unde, Urbs nostra, quæ ab heroicis temporibus Gymnasium habuit, nobilissima fuerit necesse est. Sed a quibus in ea positum, dubitatur, Memini audivisse ex te, ad ipsos Chalcidenses, quorum Colonia Neapolis est, posse referri. Quæ conjectura non ex vano hausta est; hi enim, ut observabas, in terra patria, Gymnasium Herculi sacrum habuerunt, teste

iste veteri marmore apud Thomam Reine-  
sium , quod iidem T. Quintio Flaminio po-  
suerunt.

Ο ΔΗΜΟΣ ΤΙΤΩ ΚΑΙ ΗΡΑΚΛΕΙ ΤΟ ΓΥΜΝΑΣΙΟΝ  
Ο ΔΗΜΟΣ ΤΙΤΩ ΚΑΙ ΑΠΟΛΛΩΝΙ ΤΟ ΔΕΔΡΗΝΙΟΝ

At iste ipse Hercules Gymnasio Neapolita-  
no præsidebat, ut ex Dione Chrysostomo pa-  
lâm est: quocirca deinde cùm Roma, Urbem  
nostram imitata, Gymnasium erexit, Herculi  
etiam dedicavit: ut ostendunt Romanæ A-  
thletarum Inscriptiones, *ἡ τε γὰρ ἑρкулῆ συνόδῳ τῶν περὶ  
τὸν Ἡρακλῆα*. Cur ergo a Chalcidensibus positum  
non credemus? qui hîc , patriis studiis dele-  
ctati, Gymnasio carere noluerint. Nec enim  
audiverim Petrum Lasenam , virum erudi-  
tum , dum ad Athenienses refert: qui Gym-  
nasium non Herculi , sed Apollini Lycio sa-  
crum habuerunt. Lucianus in Anacharsi, si-  
ve de Gymnasiis. *ὁ μὲν γὰρ αὐτὸς, ὃ ἀνάχαρις, γυμ-  
νάσιον ὑφ' ὑμῶν ὀνομάζεται, ἢ ἔστιν ἱερὸν ἀπόλλωνος τῷ λυκίῳ*.

Ut præteream, ab Atheniensibus nostræ Ur-  
bi imperatum nunquam. Nec quod de Dio-  
timo Atheniensis classis præfecto narratur,  
quidquam ad rem facit. Invenit hîc ipse  
Gymnasium, non condidit: & consuetis so-

b

lem-

lemnitatibus, consensu Civitatis, λαμπρότητα  
addidit. Nec aliud ex verbis Timæi Siculi  
elici potest. Cognatio materiæ fecit, ut dis-  
sertatiunculam de Mausoleo adnecterem,  
quæ singula quidem ejus Miraculi orna-  
menta, quorum memoria omnino abolevit,  
non exhibet: universi tamen operis disposi-  
tionem, formam, mensuras ita curiose perfe-  
quitur, ut de ædificio, quod extet, omnium-  
que oculis obversetur, paria tantum tradi  
posse videantur. Hæc non eò dico, ut tibi  
munus meum exornem: sed ut Plinianæ di-  
ligentiæ docti gratias agant, qui hæc nescire  
nos passus non est; etsi ita ipse præcise, & ob-  
scure indicet, ut prætereunti multò similior  
sit, quàm indicanti. At hæ tenebræ lux me-  
ra videri possunt præ illis, quas nobis offun-  
dit Timæus Platonis, cùm Mundi Harmo-  
niam proponit. Experiri tamen in tertio  
Opusculo voluimus, an rem alto demersam  
expiscari possemus. Habes in eo, unde Nu-  
merorum Harmonicorum principium pe-  
tendum sit; invenies, qua via Musica omnis  
in suas partes distincta, ita oculis subjici pos-  
sit, ut pene audiri videatur. Quis hæcenus,  
Quaternio Pythagoræ quid sibi vellet, scie-  
bat?

bat? Quis Platonis Chiasmum nisi nomine tantum noverat? Hæc nos eruimus in lucem; ut propterea tota ea disputatio cognita jucunda non minus sit, quam utilis. Quartum Opusculum affine est tertio, ut secundum primo; nam & de Pythagoreis tractat, & de Numeris, non quidem Harmonicis, sed Medicis: quos scilicet Hippocrates, Pythagoram sequutus, in morbis, & medicinis, in vita denique humana plurimum pollere opinatus est. Vidimus ex quo fonte dies Critici originem duxerint: egimus etiam de Partu humano in mense septimo, & octavo, cujus Pythagorica ratio in antiquo Homeri Scholiaste latebat, a paucis visa, a nullo intellecta. Hoc est munusculum meum, quod tibi offero: exiguum quidem, sed cujus me non pudet; nam si nihil aliud, certe novitatis gratiam retinet; præterea habenda mihi tot occupationum tuarum ratio fuit, quæ in novis hisce honoribus, quibus te Rex meritò auctum voluit, nisi magnæ esse non possunt; etsi interim nescius non sim, te per obstantia omnia literas quærere, nullumque tibi occurrere subcisivum tempus, quin id totum studiis impendas. Neque hæc in te nova sunt: so-

lens morē tuo facis. Quot, quantisque curis distinebaris, cū aut in Catalauniæ Principatu, aut in Regno Siciliae Inquisitorem Apostolicum agebas? Quod munus adnexam Religionis zelo eximiam doctrinam, nec minorem prudentiam exposcit. Obisti tu illud summa vigilantia, summaque charitate; unde tibi gloriam nunquam intermorituram, cum maximo rei Christianæ fructu conjunctam, comparasti. Inter eas sollicitudines nunquam a te literarum studia omissa, quis non mirabitur? Non omissa inquam? quid si sciant, te semper novi aliquid in literis esse molitum? Nihil me fingere, nihil ad gratiam mentiri, doctissimi tui Commentarii, quos ut propediem edas & opto, & spero, testes erunt. Verū hęc ego apud te, virum modestissimum, parce, verecundeque commemoro. Tu ergo, vir præstantissime, hilari-ter, quæ tua humanitas est, suscipe libellum istum, monumentum mei erga te obsequii: & Gymnasium nostrum, quod semper doctissimis viris floruit, nunc per te gratius, lætiusque reflorescat. Vale.



# ALOISIUS DE LEON

## LECTORIS.

**V**iri ingenio, & doctrina prestantes,  
& Auctoris nostri studiosi, cum  
Opusculum de Gymnasii constru-  
ctione, sibi pro amicitia missum, legissent, libe-  
re simpliciterque, ut viros optimos decet, hesi-  
tationes suas, alii alias, proposuerunt. Ama-  
vit Auctor ipsorum curam, & sollicitudinem,  
egitque eis, ita ut meriti erant, gratias, quan-  
tas potuit maximas: iterumque ipse ejus no-  
mine ago: petoque vicissim, & oro, ut ne mo-  
leste ferant, si ex earum numero nonnullas,  
quæ graviores visa sunt, hic ex fide recitare,  
parique modestia extricare adnitar. Fecit id  
quidem Auctor privatim, sed tribus pene  
verbis, ut qui cum viris, quibus ob consue-  
tudinem facile ipsius mens sensusque perspe-  
cti fierent, rem sibi esse sciebat. Faciam in-  
prasens id ipsum ego publice, paulò uberius,  
planiusque; auguror enim fore, ut eadem dif-  
ficul-

ficultates aliis quōque occurrāt, quibus semel  
 satisfaciendum est. Causantur de Stadio di-  
 ci, nihil ferme habere, quod Architectum re-  
 moretur; non enim id omnino convenire cum  
 eo videri, quod aliubi affirmatur, habere gra-  
 dus amphitheatri gradibus non dissimiles.  
 Evanescet quā facillime dubium, si qua in-  
 vicem separanda sunt, confundere cavea-  
 mus. Stadium non est, nisi spatium illud, ubi  
 in publicis solemnitatibus Athleta omni cer-  
 taminis genere contendebant: non ὁ λόγος, in  
 ὃ ἱστῶμεν, ut quidam definiunt; nam sadiūs Pin-  
 dāro Olympionica XIII. est, qui certat δρόμος,  
 καὶ πεντάθλος, cursu, & quinquertio. Et verum  
 est, in eo vix quidquam reperiri, quod Ar-  
 chitectum possit habere sollicitum: certe mi-  
 nus, quā in Spina Circi. Aliud est de  
 mole illa, quæ Stadium in ovi speciem cir-  
 cumibat, ubi gradus spectatōribus structi.  
 Hac majoris artificii res est: nec de ea Vi-  
 truvius in Gymnasii structura egit; vel  
 quia non multam ei rei operam, curamve  
 Graci infumebant: vel ratus satis esse, quæ  
 jam de Theatro Latino, & Græco disputave-  
 rat; nullo quippe negotio præcepta de gradi-  
 bus, scalis, præcinctiōe, cuneis, porticibus, &  
 si qua

*si qua alia incurrunt, a circulo transferuntur  
 in ἑκείνῃ, ut ex Amphitheatro Veronensi apud  
 Serlium intelligere licet. In Inscriptione  
 Austrunii, qui cū Medicus Ludi Gallici  
 esset, Porticum, & Exedram Silvano Roma  
 dedicavit; pro Porticu notatum est capi oportere  
 Xystum tectam, pro Exedra Ephebeum.  
 Ajunt, sibi non liquere, de Gymnasio, an de  
 Ludogladatorio hac sentire debeant; nec id  
 distincte enunciari. At nostro Auctori su-  
 pervacuum visum est ea persequi, quæ ex ip-  
 so marmore patere possunt; præsertim cū de  
 his non eo loco ageret. Prodam tamen ego  
 non invitus, quod ipse siluit, multisque verbis  
 ejus taciturnitati medebor. Gymnastii nomen  
 generatim usurpare si libeat, abūde est scire,  
 de Gymnasio sermonem haberi, quando passim  
 Græcis Ludus gladiatorius γυμνάσιον τῶν μοτομά-  
 χων audit, ut Lanista, γυμναστής & ἐπιστάτης, & ba-  
 tualia, γυμνασία. nam Lipsium, qui locum ipsum  
 exercitationis batualiorum nomine censeri  
 putat, auctores ab eo ipso producti confutant.  
 Sin pro Gymnasio Athletarum, ut frequentis-  
 sime occurrit, maxime sine addito positum,  
 certe Inscriptionem Austrunii de eo capi nec  
 posse, nec debere, ratio temporum, quæ sæpe ma-  
 gnas*

*gnas difficultates expediuit, demonstrat. Quò  
id certius cognoscatur, Inscriptionem integrā  
apponam, cujus eam tantummodo partem  
Auctor exscripsit, quantum ad rem faciebat.  
Ea verò ita habet.*


SILVANO. SANCTO  
AVSTRVNIVS. MEDI  
CVS. LVD. GALLIC  
PORTIC. ET EXEDR  
ET. SIGN. AEN  
VOTO. SVSCEP  
L. M  
DEDIC. KAL. MAI  
L. MARCIO. ET  
SEX. IVLIO. COS

*Istuc par Consulum Reip. moderatum est an-  
no Urbis 659, vel paulò seriùs; non enim inter  
se Fastorum concinnatores consentiunt. Per  
ea tempora Roma Gymnasium nullum: quod  
Nero demum excitavit. Quare non de eo  
sermo erit, sed de Ludo gladiatorio, cui ita  
Romani indulgebant, ut Græci Gymnasio. Et  
multa in his paria. Tangam solum, quæ ex  
ipsa Inscriptione colliguntur. Discimus ex  
ea, in Ludo Medicos extitisse: ab istis nec  
Gymnasium inops fuit: & , ut de Jatraptis  
taceam, ita docent, quæ de Herodico narrat  
Plato lib. III. Reip. & de Ægimio Galenus*

II. γυμνασίον. Erant Gymnasia Diis dicata, &  
 quodque praesidis Dei signum habebat, ut  
 Atheniense Apollinis Lycii, teste Luciano in  
 Anacharisi: & Austrunius in Ludo Gallico  
 Silvani aeneum signum collocavit, ex privata  
 religione, voto suscepto; quamvis alias Mar-  
 ti, aut Saturno consecratos Ludos non igno-  
 rem. Quid mirum? nam & Chalcidenses  
 T. Flaminio Gymnasium dicarunt. Demum  
 in utroque visebantur Xystus tecta, &  
 Ephebeum. Xystus in Inscriptione dicta est  
 Porticus; nam est σοὰ ἐκὺς. Qui dicit Xystum,  
 mutilat primam vocem: qui Porticum, ulti-  
 mam. At Ephebeum appellatum est Exedra,  
 ut etiam à Vitruvio in illis, Exedra amplissi-  
 ma cum sedibus. Hac satis notatu digna sunt,  
 vel ex eo, quòd Lipsius in Saturnalibus post  
 variam inquisitionem, in Ludogladatorio nil nisi  
 multiplices, minutasq; cellas observare potuit.  
 Certe infelici sorte usus. An aliud nihil in  
 Ludo fuisse credam? Cellulas quidem gladi-  
 atores inhabitabant: ast ubi exercebantur?  
 Nèpe tirones in Ephebeo, veterani in Xysto,  
 in qua rasa humus fuit, arena inspersa, eadem  
 de causa, qua in Amphitheatro. Et hac loca  
 proprie Ludus gladiatorius, non cella illa, si

*Iudus est, ubi gladiatores usum armorum  
 ediscunt. Itaq; Cujacio non accedo, qui illud  
 EXEDR, in Inscriptione numero multitudi-  
 nis Exedras exponit. Insimulāt alii, quòd non  
 reddita causa affirmetur, δρόμος in Gymnasio  
 denotare Xysta, longe a sententia Budai, qui  
 Xystum esse voluit. Et tamen, si attendamus,  
 nihil clariùs demonstratum comperiemus.  
 Xystus pro porticu sequioris generis cum sit,  
 nullus dixerit, δρόμος ξυστός, ut ad Palliū Ter-  
 tulliani perperam a Salmasio factum; nam  
 est, ut proxime notatum, σάξ ξυστός. Ex quo &  
 illud existit, δρόμον ξυστόν esse necessariò, quæ La-  
 tinis Xysta, & quandoque masculino genere,  
 Xystus. Hac, quamvis exilia videantur, ta-  
 men ea nisi probe teneamus, in intelligēdis bo-  
 nis auctōribus, multis nos erroribus implicare  
 possunt: eademque jam non insinua-  
 verat modo, sed diserte monuerat Auctōr: & eò scire  
 se dixit, δρόμος ad Xysta referrī; veteremque  
 lectionem in voce περιδρομίδες Vitruvio asse-  
 ruit. An posthac de probatione expos-  
 tulant? Nunc demum recte capimus verba  
 Pollucis. ὁ δρόμος ὃ ξυστός ἐν οἷς αἱ ἀσκήσεις. Hac vi-  
 ris doctis fraudi fuerunt: at is non de Xysto  
 recta loquutus est, sed de Xystis subdivalibus.*

*Agimus etiam subintelligemus, cum hypathras  
 ambulationes in hortis, ubi se veteres deambu-  
 lando exercebāt, appellatas Xystos ἀσπασίας re-  
 perimus, ut apud Pliniū juniorē passim. Uno,  
 aut altero loco contentus ero. De villa apud  
 Tuscos: Ante porticum Xystus concilus in  
 plurimas species, distinctusque buxo. De  
 Laurentino: Ante cryptoporticum Xystus  
 violis odoratus. Hac, Lector humanissime,  
 excusando, vel potius purgando Auctori no-  
 stro in medium allata volui, raptim, & in-  
 condite ad te scripta, operis pro editione ur-  
 gentibus. At quacunque ea tandem sint,  
 aequi bonique consulas velim. Si quid omni-  
 no, hoc certe sine alicujus injuria a me factum  
 est; nam viros doctissimos, qui hac objecta-  
 runt, & amo effusissime, & colo. Vale.*



Rev.

Rev. Dominus D. Emmanuel Cicatelli videat, & in scriptis referat die 30. Septembris 1693.

Joannes Andreas Siliquinus Vic. Gen.

*Canonicus D. Januarius de Auria Conf. S. Offic. Dep.*

*Eminentissime Domine.*

**U**T Eminentia<sup>z</sup> Tua<sup>z</sup> iussa facerem, perlegi Opuscula scripta a Dominico Aulio, & nihil in eis, quod vel bonis moribus, vel Catholicæ Fidei officeret, inveni: & sapientiam elegantis nexu eruditioni conjunctam admiratus sum. Quocirca typis excudi posse censeo, ita si Eminentia<sup>z</sup> Tua<sup>z</sup> videbitur. Neapoli die 19. Decembris 1693.

Eminentia<sup>z</sup> Tua<sup>z</sup>

*Additissimus Servus*

D. Emmanuel Cicatellus.

Attenta relatione superscripti Rev. Domini Revisoris, quod possunt imprimi.

Imprimantur die 22. Decembris 1693.

Joannes Andreas Siliquinus Vic. Gen.

*Canonicus D. Iannarius de Auria Conf. S. Offic. Dep.*

Magnif. U. J. D. D. Joseph Alciati videat, & in scriptis referat.

Soria Reg. Gaeta Reg. Moles Reg.

Miroballus Reg. Jacca Reg.

Provisum per S. E. Neap. 31. Augusti 1693.

*Mastellonus.*

*Excellentissime Domine.*

**D**ominici Aulis libellos, de Gymnasii constructione, de Mausolei Architectura, de Harmonia Timaica, de Partu octimestri, & septimestri, Dissertatio Pythagorica, de Colo, jussu Excellentia<sup>z</sup> Vestræ perlegi, & cum nil in illis, quod adversaretur Regiæ Jurisdictioni reperissem, sed præclara eruditione, ac doctrina refertos, posse typis vulgari, si Excellentia<sup>z</sup> Tua<sup>z</sup> videbitur, censeo. Neap. nonis Septembr. 1693.

Excellentia<sup>z</sup> Tua<sup>z</sup>

*Additissimus Cliens*

Josephus Alciatus.

Imprimatur, verum in publicatione servetur Regia Pragmatica.

Soria Reg. Gaeta Reg. Moles Reg.

Miroballus Reg. Jacca Reg.

Provisum per S. E. Neap. die 9. Octobris 1693.


*Comus.*

D O-

exempla ponent affectu red qd?

fio

A



Jacca Reg.  
Provisum per S.E.Neap.die 9.Octobris 1693.

Comms.  
D O-



# DOMINICI

AULISJ

DE GYMNASII CONSTRUCTIONE

COMMENTARIUM.



Ultra in Vitruvio. egregia vetustatis monumenta extare, quæ alibi invenire non est, norunt quicunque bonarum artium studio tenentur: quos tamen ipse non minus delectat, quàm exercet; ita in plurimis lucem desiderat, cujus non sua, sed temporis culpa indiget, quod omnia sursum deorsum versando, tenebras veluti quasdam priscis inventis offundit. Varia in medium exempla possent afferri: sed quæ de Gymna-

— A

— A

— fio

sio habet, sint satis. Egit quidem de eo Vitruvius diligentissime: sed haecenus nemo unus, quod sciam, ejus inde ædificii designationem, nisi multis partibus mendosam, potuit exhibere. Quo factum, ut pulcherrima notitia careamus, quæ nisi ab optimo Scriptore, hauriri aliunde non potest; ut pretium operæ sit, post Mercurialis, Barbari, Perraultii, aliorumque conatus, istum lapidem de integro voluendum suscipere. Experiemur nos, si quid boni ad hanc vetustatis partem illustrandam excogitare valeamus. Quod si præstiterimus, non ingenii (scimus enim tenuitatem nostram) sed industriæ fructus fuerit. Utemur pro explicatione non aliis verbis, quàm Vitruvianis, ut tanto certius de veritate constet; intersitis solum de nostro literis, seu notis, quæ indicent, ubi in Ichnographia, quam damus, quodque ædificii membrum querendum sit. Præterea adnotatiunculas quasdam brevissimas pro facili capiti adscribere non pigebit.

DE-

DESCRIPTIO PALÆSTRÆ.

Vitruvius. NUNC MIHI VIDETUR, TAMETSI NON SINT ITALICÆ CONSUETUDINIS, PALÆSTRARUM ÆDIFICATIONES TRADERE EXPLICATE, ET QUEMADMODUM ABUD GRÆCOS CONSTITUANTUR, MONSTRARE.

Palæstrarum nomine Gymnasia intelligi docent. sed falsò. Gymnasium in tria membra dividitur, quorum unum Palæstra, alterum Xysta, tertium Stadium. Gymnasium totum, Palæstra pars, a qua, ut præcipua, sermo fuit ordiendus. Vitruvii dictum, qui sub Augusto floruit, cum Palæstras Italicæ consuetudinis esse negat, ad eas urbes non pertinet, quæ etsi in Italico solo positz, a Græcis tamen, a quibus ortæ, incolebantur. Testis ei rei satis locuples una Neapolis, Græca urbs, quæ ex Græcorum instituto Gymnasium a vetustissimis temporibus conditum habuit, excoluitque, ut ex Strabone, qui & ipse sub Augusto scripsit, notum lib. 5. Ita quoque ad subsequencia post Augustum tempora, de quibus Vitruvius divinare nequibat, non pertinet; nam qui sequuti sunt Principes, Græcorum instituto delectati,

Gymnasia Romæ excitarunt. Primus id Nero fecit, teste Syetohio. Nec est, cur obdilatatur vir doctus ex Plauti verbis in Bacchidibus.

*Ante Solem exorientem nisi in Palastram veneras,*

*Gymnasi Praefecto haud mediocreis pænas penderes.*

Scilicet non meminit, Græcam eam esse fabulam, ex Philemone versam, Athenis actam, non Romæ. De aliis nihil disputare necesse est, cum hæc nostræ præsentis scriptiõni sint abunde. Cæterum nil mirum, si hic Vitruvii inscriptio est, DE PALÆSTRARUM ÆDIFICATIONE, ET XYSTIS, prætermisâ Stadiorum mentione: quippe Stadia nihil fere habent, quod Architectum remorari possit. Satis itaque putavit, in fine Capitis hujus paucula verba de ipsis subnectere.

IN PALÆSTRIS PERISTYLIA QUADRATA A, SIVE OBLONGA ITA SUNT FACIENDA, UTI DUORUM STADIORUM HABEANT AMBULATIONIS CIRCUITIONEM: QUOD GRÆCI VOCANT ΔΙΑΤΑΟΝ.

Peristylum in Ichnographia quadratum selegimus, ex quo certiores totius Palæstræ men-

## *De Gymnasii Constructione. 5*

mensuræ deducuntur, quàm ex Peristyliis oblongis. Hæc enim multiplicis generis sunt: quadrata unius. Horum tamen ratione recte percepta, facile ubi Peristylum oblongum sit, quid variari debeat, cognoscimus. Area A columnis cincta, quaqua-  
versum habet pedes 300, ut sint in ambitu Stadia duo.

E QUIBUS TRES PORTICUS SIMPLICES B, B, B, DISPONUNTUR.

Lata quæque pedes 42. cujus mensuræ ratio in Xysto reddetur.

QUARTAQUE C, QUÆ AD MERIDIANAS REGIONES EST CONVERSA, DUPLEX; UTI CUM TEMPESTATES VENTOSÆ SUNT, NON POSSIT ASPERGO IN INTERIOREM PARTEM PERVENIRE.

Hoc est, Porticum istam esse oportere duplicem, non Ephebeum, Coryceum, & alia proxima membra, quorum lumina, & ostia, ad eam vergunt, imbrium injuriis pateant. Quod non nisi magno adolescentium, aliorumque, qui in eis se exercent, incommodo fieret. At cum hæc ipsa membra ex altera parte porticum simplicem habeant adnexam, ut dicemus, constat nulla ibi ostia extitisse;

uisse; nisi forte unum, aut alterum in Ephe-  
beo, & Corytheo, unde breviter egredi  
athleta in Xystum possent: quæ & ipsa in  
tempestatibus ventosis occludi poterant:  
quippe patentibus interim ostiis, & fene-  
stris in opposito latere, Ephebeum, & Cory-  
theum multa satis luce clarescebant: Hæc  
Porticus, quia duplex, lata erit pedes 84.

CONSTITUUNTUR AUTEM IN TRIBUS PORTICIBUS EXE-  
DRÆ SPATIOSÆ D, D, HABENTES SEDES, IN QUIBES PHILO-  
SOPHI, RHETORES, RELIQUIQUE, QUI STUDIIS DELECTAN-  
TUR, SEDENTES DISPUTARE POSSINT.

Novitium inventum fuit literarum Pro-  
fessoribus designare in Gymnasio Scholas, &  
*ἀνυσίπια*, ut hæc Ciceronis in 2. de Oratore  
ostendunt: *Nam & seculis multis ante  
Gymnasia inventa sunt, quàm in his Philo-  
sophi garrere caperunt.* Negat vir eruditus,  
in Gymnasio Neapolitano literarum studia  
unquam fuisse: negat ullo idoneo auctore  
probari: Quid faciet D. Augustino? cujus  
hæc sunt e libro 3. contra Academicos:  
*Quid si tam clarum est, ut frustra inficere?  
Persuadebis nimirum, tanquam in Cumano  
Gymnasio, atque adeo Neapolitano, nihil  
eum peccasse, imò etiam nec errasse quidem.*

An

*De Gymnasii Constructione.* 78

An satis idoneus auctor est, qui omnem evi-  
ctionem præstet? Lata Exedra sunt pedes  
108. uti postea demonstrabitur; cum de  
Porticu Septentrionali Stadiata sermonem  
instituerimus.

IN DUPLO AUTEM PORTICU COLLOCENTUR HÆC MEM-  
BRA, EPHEBEUM E IN MEDIO, HOC AUTEM EST EXEDRA  
AMPLISSIMA CUM SEDIBUS, QUÆ TERTIA PARTE LONGI-  
OR SIT, QUAM LATA.

Athletæ, tamen si maiore parte Palæstræ  
literarum Professoribus cesserint, tamen  
præstantiorem sibi seposuerunt, Meridiei  
obversam, ut per hiemem plurimo Sole, &  
clementiori coelo fruerebuntur; nam hæc ma-  
ximè hiemi parata mansio est, cum per aesta-  
tem athletæ in Xysta progredierentur. In  
hoc Gymnasii tractu medium spatium sibi  
Ephebeum poscit, quod *Exedram amplissimam*  
Vitruvius appellat. Quare non un-  
dè modo Scholæ sedilibus erant instructæ, &  
*Exedra* dicebantur, sed & Ephebeum. Quod  
notari velim; nam Ephebeum intelligit  
etiam Dio Chrysostomus; ubi adolescens  
tulus athletæ. Jatrocleon nomine, in Exe-  
dra Herculis, quæ erat in Gymnasio Neapo-  
litano, sese exercuisse memorat.

*Et quæ se-*  
*quantur. Hoc est, stantes ad Ephebeum,*  
*quod hic Herculi erat dicatum. Dicitur,*  
*quia magna spectantium pars, quam sedes*  
*non caperent, stare cogebatur. Exedra pari-*  
*ter Ephebeum est in veteri Lapide Roma-*  
*no, sicuti Porticus est Xystus.*

SILVANO SANCTO

AUSTORNIUS  
 MEDICUS LUDI GALlici.

PORTICI ET EXEDR. ET

ET SIGN. ÆN.

VOTO SUSCEPT.

L. M. D.

Visum est Vitruvio addere, *cum sedibus,*  
 non sine causa. Nam alioqui cellas omnes,  
 quæ in Peristyllo, ut sedibus destitutas,  
 Exedras vocabant. Varro Ornithona Exe-  
 dram dicit lib. 3. de Re Rust. cap. 5. *Qui*  
*Brundusii hospes noster primus in Peristyllo*  
*habuit Exedra conclusas aves, quas pasce-*  
*ret objecto rete.* Imò Strabo lib. 13. Exedram  
 vocat quandam *εξεδράν*. Hoc fortasse verius,  
 quàm quod opinatur Cujacius ad C. de ope-  
 rib. publicis, speculam eam ita fuisse exedi-  
 ficatam, ut haberet sedes complures in Exe-  
 dræ formam.

Erant

*De Gymnāsiū Constructione.* 9

Erant ergo in Ephebeo sedes circum,  
ad parietem spectatoribus positæ, in me-  
diis spatiis se puberes exercebant; non enim  
aut nomen ipsum, aut Dio loco proximè di-  
cto, dubitare nos sinit, Ephebeum adole-  
scentulis fuisse destinatum: scilicet, ut seor-  
sum essent a viris, qui suas exercitationes in  
Xysto, & Xystis peragebant. Illis præerat  
Pædotriba, his Xystarcha.

Hæc cella tertia parte longior est, quàm  
lata. Patet in latitudinem pedes 108. in  
longitudinem pedes 144.

SUB DEXTRO CORYCEUM I.

Duæ omnino in toto Gymnasio cellæ  
erant exercitationibus destinatæ, Ephe-  
beum, & Sphæristerium, ubi non una modò  
pila ludebatur, sed etiam coryco. Inde cel-  
la hæc, quæ aliis *Spharisterium*, Vitruvio  
*Coryceum* dicta est; quippe corycum e  
Gymnāsi tecto suspendi testis est Antylus  
apud Oribasium, qui & Corycum pro imbe-  
cillioribus compleri olivarum officulis, aut  
farina, & pro validioribus arena ait. Tū sub-  
dit: τὸ δὲ μέγεθος αὐτῆς πρὸς τὴ δύναμιν, καὶ ἡλικίαν συναρ-

πολλοὶ ἀγριότατοι ἐν τοῖς γυμνασίοις αὐτῶν τῶν οὐρανῶν.

*Sit ejus moles ad vires, & aetatem accommodata. In Gymnasio superne è tecto pendet. Vide cetera; nam κορυκαρχίας rationem docēt. Certe hic ludus, quo viri maxime exercebantur, omnino abs re institueretur in Ephebeo: nec alius pro eo occurrit in tota Palæstra locus, nisi Sphæristerium. Quid igitur dubitamus, a Coryco dici Coryceum, & hoc idem esse cum Sphæristerio? in quo plura ludorum genera exerceri consuevisse, docet Plinius lib. 5. epist. 6. Sphæristerium, quod plura genera exercitationis, pluresque circulos capit. Quærit vir doctus, si cella hæc Coryco tribuitur, ubi erit Apodyterium? Locum nos statim indicabimus. Est Coryceum latum pedes 60.*

Locat Vitruvius Coryceum sub dextro Ephebei. Hoc non est ad Occidentem, ut rentur: sed ad Orientem, versus Gymnastii frontem; quandoquidem Vitruvius Laconicum, & Caldam Lavationem ad sinistram Ephebei statuit, quæ membra non nisi ad partem occidentuam Palæstræ recte collocari ostendemus.

DEIN-

## De Gymnasii Constructione. 11

DEINDE PROXIME CONISTERIUM K.

Quæ sequuntur Cellæ exercitationibus assignatæ non sunt: sed vel sunt ἀποδύσαι, ut Conisterium pulveris, & Eleothesium olei: vel ad lavacri; & balneorum usum comparatæ. Quod attinet ad Apodyteria, de his nihil meminit Vitruvius, quod nullæ privatum in hunc usum Cellæ in Gymnasio excitarentur. Nec præterea athletæ omnes uno commode loco poterāt denudari, ob Frigidæ Lavationis, & Thermarum distantiam. Putem, duo omnino fuisse Apodyteria. Unum, quod esset pars Conisterii, ubi se exuebant, qui frigida essent loturi; proxime enim adjacet Frigida Lavatio. Alterū in Cōcamerata Sudatione, cui cohæret Frigidarium.

Conisterium in totidem patefcit pedes, in quot Coryceum.

A CONISTERIO IN VERSURA PORTICUS FRIGIDA LAVATIO L, QUAM GRÆCI ΛΟΥΤΡΟΝ VOCITANT.

Contraria sunt λῦτρον, & λουτρόν. Istud Galeno proprie Calda Lavatio, illud Vitruvio Frigida. Et claudit dextrum latus Ephebei, ut quæ in versura, seu in angulo Porticus duplicis posita est. Hinc fit, Cellam.

B 2

Fri-

Frigidæ Lavationis quadratam esse oportere, numerantem in circuitu pedes 43 2.

At verò Labrum a b fg, quod in ea inest, se extendit in oblongum: quippe ex uno latere cohæret parieti Meridiano Palæstræ, qui paries in Labrum per insertum tubum aquam, ex fonte, aut flumine corrivatam, eructat. Esto, si placet, longum pedes 88. latum 68. quare in tribus lateribus habebit obambulationem latam pedes 20. In eo Labro se abluebant, immergebantque. Hujusmodi unum habemus Neapoli, in regione Thermensi, unicum, si credimus, nostri Gymnasii vestigium. Sed jam alterum Ephebei latus lustremus.

AD SINISTRAM EPHEBEI ELÆOTHESIIUM F.

In eo non modò olei, & ceromatis conditoria erant, sed etiam athletæ ungebantur, antequam membra pulvere conspergerent. Inde ἀλειπτήριον, seu *Unctuarium*. Latum, ut ceteræ intermediæ Cellæ, Ephebeo excepto, pedes 60.

Illud turbat, quod Conisterium, in quod pulvis Palæstricus condebatur, longe in altero Ephebei latere positum est; interferuntur

tur enim Ephebeum, & Coryceum. Ungi  
& pulvere conspargi, conjunctæ res sunt.  
Cur Cellæ, quæ his deinceps usibus destina-  
te sunt, loco distabunt? Mihi omnino viden-  
tur verba Vitruvii luxata, & debere Cory-  
ceum, & Elæothesium Cellas inter sese  
commutare, ut Coryceum migret in sini-  
strum latus Ephebei, Elæothesium in dex-  
trum: ita Conisterio hærebit. Trajectio-  
nes hujusmodi plures in Vitruvio extant  
quarum nonnullas viri magni jam substule-  
runt; de quibus hîc dicere, nihil est necesse.

PROXIME AUTEM FRIGIDARIUM G, AB EOQUE ITER IN  
PROPNIQUEUM IN VERSURA PORTICUS.

Frigidarium est Thymarum portio, in  
latitudinem se extendens pedes 60. Galenus  
in lib. 11. Methodi partes ~~αὐτῶν~~ ~~enume-~~  
rat quatuor. Primò enim athletæ adi-  
bant Cellam ad sudandum comparatam.  
Tum, ubi aquæ calidæ lavacrum erat. Et  
hoc proprie appellari ~~αὐτῶν~~ ait. Tertiò  
transibant in lavacrum aquæ frigidæ. Ulti-  
mò in Cellam, ubi sudores detergebantur;  
sudare enim corpus pergebat etiã post frigi-  
dæ lotionē. ~~μὴν τὴν τὴν ψυχρὴν ὕδατι ἰδρῶσιν ἔτι~~. Hæc  
omnia

omnia brevi verborum ambitu idem Galenus libro 10. complexus fuerat . εἰσελθόντες μὲν

γὰρ ὁμιλεῖσιν αἰεὶ θερμῷ· μετὰ δὲ ταῦτα εἰς ὕδαρ εἰσπάσκει·  
μὲν·) αἰτ. ἐξελθόντες εἰς ψυχρὸν, εἰτ. ἀπομάστινται τὸν ἰδρωτᾶ.

*Ingredientes enim versantur in aëre calido: postea immerant in aquam calidam: egredientes deinde in frigidam: tandem detergunt sudorem.* Hæc magnam facem Vitruvio alucent. Palàm est, quatuor designari diversas Thermarum Cellas, hoc ordine, Laconicum, Caldæ Lavationem, Frigidarium, Concameratam Sudationem .


Has omnes apte describit hic Vitruvius. Ordinem tamen non eundem servat, quem Galenus. Iste enim, quid primò, quid tum fieret, enarrando, attendit. Vitruvius prout quæque pars oculis ingredientium occurreret, describit. Itaque sermonem orditur a Frigidario, quod est Galeno Thermarum tertia pars. Id nominis denotat aliquando Vas aquæ frigidæ, aliquando Cellam, ubi tale Vas sit. Nec alia significatione usquam occurrit. Unde longe a vero avius fertur vir eruditus, qui in Frigidario Palæstræ ullas fuisse aquas negat, satis esse reputans eas, quæ erant

erant in λούτρῳ. Scilicet, non vidit in λούτρῳ, non nisi eos versari solitos, qui tantum frigida uti voluissent, lavando, natando. Nec eò commodum erat pergere eos, qui post calidi balnei usum in frigidam transibant, longe enim aberant, ab angulo Occidentali Palæstræ ad Orientalem. Propterea istis aliam Cellam balneo calido proximam parare opus fuit. Et hoc est Frigidarium, ubi Baptisterium, seu Piscina aquæ frigidæ surgebat, non absimilis labro τῷ λούτρῳ. quare *Piscinalis Cella* Palladio dicta. De eo, qui Frigidarium idem cum Apodyterio facit, nihil attinet dicere; manifesta enim allucinatio est. Esto, si videtur, Piscina lata pedes 44. longa 100. ut in ambitu ambulationem descriptam habeat latam pedes 8.

Peculiare fuit, quod de Villa Laurentina junior Plinius narrat, duo in eadem Balnei cella extitisse Baptisteria, ex adverso posita, quorum quodque tribus rectis constaret lateribus, quarto se in arcum curvante. *Inde*, inquit, *balinei Cella Frigidaria, spatiosa, et effusa, cujus in contrariis parietibus duo baptisteria velut ejecta sinuantur.*

Cel-

*Cella Frigidaria Plinii cum duobus  
baptisteriis.*



Ex Frigidario aqua derivabatur per fistulas, ut solis Caldæ Lavationis defunderetur, uti mox dicendum erit.

Est quoque ex Frigidario iter in versura porticus ad Propnigeum, quod Vitruvius alibi *Præfurnium* vocat: id autem est ostium furni. Latine proprie *Fornacem* dixeris. Saltem ita Palladius loquitur, qui de area furni, sub pavimento balnei, hæc habet: *Aream primò bipedis sternis, inclinata sic tamen structura ad fornacem, ut si pilam miseris, intrò stare non possit, sed ad fornacem recurrat.* Semel, iterumque *fornacem* appellat *σπονδυλειον*. Confer cum Vitruvio lib. 5. cap. 10.

Erat autem Furnus balnei cella subterranea,

nea . Fucrit propterea opus est in pavimento Frigidarii hiatus , per quem fornacarius se demittebat , ut ad Propnigeum iret . Hiatus iste est n , qui Vitruvio *Iter* . Cæterum Propnigeum , quia sub terra latet , in Ichnographia non exprimitur .

PROXIME AUTEM INTRORSUS E REGIONE FRIGIDARII COLLOCETUR CONCAMERATA SUDATIO O , LONGITUDINE DUPLEX, QVAM LATITVDINE.

Silent hîc viri docti ; nam quid hæc Sudatio esset , quidve a Laconico distaret , nullus dum cepit. Ea est quarta, & ultima pars Thermarum, Galeno memorata , in quam post frigidum balneum se athletæ recipiebant, ut exsudarent , & sudorem abstergerent . Ab hoc usu *Sudatio*, sicuti a testudineata forma dicta est *Concamerata* . Absterfo sudore , vestes athletæ induebant, & digrediebantur; quare hîc alterum Apodyterium fuerit , necesse est . Proinde *Apodyterium balinei* dicitur Plinio juniori, quod ipse Cellæ Frigidariæ conjungit, ut Vitruvius *Concameratam Sudationem* Frigidario .

Hinc etiam Plinius *laxum* facit Apodyterium; scilicet , ut huic duplici usui commodè

C

in-

inserviret . Vitruvius item Concameratam Sudationem longitudine duplicem statuit, quàm latitudine . Verba Plinii de Villa apud Thufcos sunt . *Inde Apodyterium balinei, laxum, & hilare, excipit Cella Frigidaria, in qua baptisterium amplum, atque opacum.* Nec mirum, eandem cellam diversa nomina a diversis usibus esse sortitam; nam eadem quoque cella est Coryceum, & Sphæristarium: item Elæothesium, & Aliptarium.

Longa est pedes 108. lata 54.

QVÆ HABEAT IN VERSVRIS EX VNA PARTE LACONICVM H, AD EVNDEM MODVM, VTI SVpra SCRIPTVM EST, COMPOSITVM : EX ADVERSO LACONICI CALDAM LAVATIONEM M.

Dicit *in versuris*. Nam una est versura exterior Palæstræ, & in ea est Laconicum: altera est versura interior Porticus duplicis, & in ea est Calda Lavatio; relicto tamen introrsus spatio pro Concamerata Sudatione collocanda. Exacte hæc omnia in Ichnographia habes expressa.

Etece tibi primam, secundamque Thermarum partem a Galeno designatas. Prima est Laconicū, cujus cella in exteriori ambitu quadrata est: at intrà lateribus longe pluribus distin-

distincta, nō rectis, sed sinuatis, ut in quoque eorum locus in apside fornicatus imprimi possit, quò quisque athletarum se ad sudandum reciperet. Cognoscimus hæc ex Laconico Pisano, & in nostro signavimus m.

Sub pavimento Laconici Furnus erat, ὑπό-  
 καινον propterea dictus, ad quem superne hia-  
 bant tubuli quadri in Laconici pariete inserti,  
 qui haustum ex Furno vaporem in Laconi-  
 cum per superiora oscula diffundebant ad  
 ciendum, prolestandumque sudorem. Nullæ  
 enim ibi aquæ: & recte Galeno Laconicum  
 est ξηρὸν βαλανίον, *balneum siccum*.

Cæterum Furnus ita amplus erat, & diffu-  
 sus, ut ad Caldam quoque Lavationem, quæ  
 propterea Laconico conjuncta, pertineret, ip-  
 siusque etiam pavementum suspenderet. Hæc  
 est secunda Thermarum pars, & ipsa quadra-  
 ta, circum pluribus Soliis distincta, p.

Ex succenso itaque hypocausti igne inca-  
 lescebat Caldarium, aut miliarium in balneo  
 positum: ex quo per fistulas aqua quæ satis,  
 in balnei solia derivabatur, moderante σφοδρῆς.  
 Vitruvii enim tempore tria erant in Thermis  
 vasa ærea: primum erat Frigidarium in Cella

cognomine, ex quo aqua influebat in Tepidarium, supra Propnigeum: ex hoc decurrebat in Caldarium, quod Furno superextabat. Istud demum sufficiebat soliis.

At non ita Palladii tempestate, cùm miliarium plumbeum in Propnigeo positum, rectà diffundebat in solia aquam ex Frigidario hauritam; tepidis enim per ea tempora magis, quàm calidis lavacris capiebantur; quippe miliarium, si fornaci, id est præfurnio imminet, necesse est, ut Tepidarium sit, non Caldarium, quod ipsi Furno imponebatur; minus enim caloris sufficitur ex Propnigeo, plus ex Furno. Ejus hæc verba sunt. *Miliarium verò plumbeum, cui arca patina subest, inter soliorum spatia forinsecus statuemus, fornace subjecta: ad quod miliarium fistula frigidaria dirigatur, & ab hoc ad solium similis magnitudinis fistula procedat, quæ tantum calidæ ducat interius, quantum fistula illi frigidi liquoris intulerit.* Vides apertum discrimen, inter tempora Palladii, & Vitruvii, quæ sine magno errore confundi non possunt. Vides etiam loca, ubi vasa hæc debeant collocari, in quibus investigandis viri docti se, aliosque, torserunt. Con-

Constat ex his, a Furno non unum modò Laconicum, sed & Balneum concameratione fuisse suspensum. Et hæc est *suspensura balnearum*, quam memorat Seneca ad Lucilium: *Balnearum suspensura inventa est, ne quid ad lautitiam deesset. Ideo ad lautitiam*, quia incalescebat ipsum etiam balnei pavimentum concamerationi superstructum, & blando eo calore plantæ pedum nudæ veluti titillabantur. In plano enim offendunt, qui hæc non intelligentes, labra quædam comminiscuntur, ad lectulorum pensilium imitationem, laquearibus suspensa. Cui bono? Suspensi eo, quo diximus, modo per furnum balnea, antiquissimum Græciæ inventum est: apud Romanos Sergius Orata ætate L. Crassi Oratoris introduxit primus. Et ita capiendus Plinius, ubi de eo scribit: *Primus pensiles invenit balineas, ita mangonizatas villas subinde vendendo*. Id si capiamus, ut isti volunt, de balneis ectecto pendentibus, nimis inepti fuerint, qui carius Villas ab Orata propterea emebant; nam promptum erat, & similia construere, & constructa transferre. Nec demum Villæ pars esse poterant.

La-

Latius quodque Balnei est pedes 54, ut etiam Laconici, cum utraque cella in quadrum exeat.

Et hæ Thermæ sunt, per singulas partes explicatæ: & non sine ratione a Vitruvio in hunc Palæstræ angulum rejectæ, ut ex una parte Meridiem respiciant, ex altera Africo sint obversa. Nam de balneo ita Palladius: *Lumina ei dabimus à parte Meridiana, & Occidentis Hyberni, ut tota die Solis iuuetur, & illustretur aspectu.* Paria his habet Vitruvius lib. 5. cap. 10.

Porrò fusoria, per quæ balneorum eluvies decurrat, in postico sint, Occidenti opposita.

Palæstra hæcenus descripta ob inæqualitatem, vitio non caret; nam a centro Peristylil A, si quis Meridiem versus progrediendo, latus dextram mensuret, comperiet pedes 342; cum interim sinistrum latus ab eodem centro pedes 300 non excedat. Æqualitati Porticus duplex C obstat. Quæ tamen latera mox Vitruvius æquabit. Itaque membra exteriora persequamur.

IN

## De Gymnasii Constructione. 23

IN PALÆSTRA PERISTYLIA, QUEMADMODUM SUPRA SCRIPTUM EST, ITA DEBENT ESSE PERFECTE DISTRIBUTA. EXTRA AUTEM DISPONANTUR PORTICUS TRÆS. UNA P EX PERISTYLIO EXEUNTIBUS.

Ornat Vitruvius Palæstræ aditum Porticu, quæ, ut inter membra iusta commensus ratio sit, excurret in longum pedes 300, ut Peristylî latus exæquet: at lata erit pedes 42, uti reliquæ Porticus omnes, duplicibus exceptis.

Porticum istam extra Palæstram disponi ait, ut mirum sit, virum magnum, cui Galli Architecti plurimum debent, eam intra Palæstram statuisse, in Prothyro: oblitus etiam, in ædificiis potius privatis, quàm publicis fores Prothyro communiri.

DUÆ, DEXTRA, ATQUE SINISTRA, STADIATÆ. EX QUIBUS UNA Q, QUÆ SPECTAVERIT AD SEPTENTRIONEM, PERFICIATUR DUPLEX, AMPLISSIMA LATITUDINE.

Duæ Porticus istæ (de quarum una in præfens, mox de altera sumus dicturi) indicio sunt, Palæstræ latitudinem in stadium porrigi; quando ipsæ, quæ cetero ædificio haud dubie æquales, stadiatæ sunt, id est stadium longæ. Jam cùm latus Peristylî sit pedes 300, & duæ Porticus, hinc inde ad Orientem, & Occidentem adnexæ, conficiant simul pedes 845  
fit,

fit, Exedras, quæ statim sequuntur, explere pedes 108 singulas. Istæ enim mensuræ omnes, in unum computatæ, stadium faciunt.

Itaque Porticus exterior Septentrionalis stadiata est, seu longa pedes 600. At quia duplex, lata pedes 84. Aditus ad eam per N, N, singuli lati pedes 42. In ea discipuli, aut spatiabantur, aut λέσχας habebant, λέσχας cum Hierocle voco conventiunculas, quas discipuli, qui ideo λεσχηνῶται dicti, de sapientia habent. Erant hæ *Λεσχη* Apollini λεσχηνορία sacra. Harpocratio ex Cleanthe: ἀποτέμευσθαι τῷ ἀπόδανι τὰς λέσχας.

ALTERA SIMPLEX R, ITA FACTA, UTI IN PARTIBUS, QUÆ FUERINT CIRCA PARIETES, ET QUÆ ERUNT AD COLUMNAS, MARGINES HABEAT (circa parietes c, c, c: ad columnas, o) UTI SEMITAS, NON MINUS PEDUM DENUM, MEDIUMQUE c c EXCAVATUM, UTI GRADUS BINI d d SINT IN DESCENSU SESQUIPEDALI A MARGINIBUS ccc, o, AD PLANITIEM c c. QUÆ PLANITIES SIT NON MINUS LATA PEDUM DUODECIM. ITA QUI VESTITI AMBULAUERINT IN MARGINIBUS, NON IMPEDIENTUR AB UNCTIS SE EXERCENTIBUS. HÆC AUTEM PORTICUS ΕΥΣΤΟΣ APUD GRÆCOS VOCITATUR, QUOD ATHLETÆ PER HYBERNA TEMPORA IN TECTIS STADHS EXERCENTUR.

Haftenus de Porticu stadiata Septentrionali, id est sinistra. Nunc de Meridionali, quam

*De Gymnasii Constructione.* 25

quam *dextram* suprà Vitruvius dixit. Est ergo Palæstrę conjuncta, longa & ipsa, ut Septentrionalis, pedes 600. lata, quia simplex, pedes solùm 42. Jam vides æquata hîc a Vitruvio latera Palæstræ, si a centro Peristylî computationem ineas; hinc enim in Septentrionem numerantur pedes 384. illinc ad Meridianas plagas, totidem.

De ea multa docet, quæ ad duo summa capita reducuntur. Primò, ut a postremis ordiar, tradit usum; extrui eam, ut athletæ per hyberna tempora, cœlo præsertim pluvio, ibi se exerceant, sub tecto: & ad hoc rasa humus erat, a qua rasura Porticus *Xystus* dicitur. Sudo cœlo, & per æstatem athletæ prodibant in Xysta, ubi sub divo exercitationibus vacabant, de qua re loco dicemus.

Deinde partes, quæ tres omnino sunt, & singularum dimensiones ostendit. Primam faciunt Margines, qui juxta tres parietes Porticus, & juxta columnas, quæ in latere Meridionali surgunt, velut semitæ discurrunt. Horum cujusque latitudo est minimùm pedes 10. Alteram constituit Medium excavatum, id est planities in media Porticu depressa, hu-

D

mo

mo rafa: Id Græci σκάμμα vocant: quod Vitruvius hic exprimere conatus est, dum *Excavatum* appellat; id enim Græce est σκάμμα. Et sicut in marginibus cōsistebāt spectatores, ita in scammate se exercebant athletæ: propterea Tertullianus athletas ab Epistate ungi, & in scamma deduci ait, lib. ad Martyres, cap. 3. Latum est non minus pedes 12. Ultimam efficiunt Gradus bini, qui sunt in descensu a marginibus ad scamma. Ita fiet, ut spectatores, qui morantur in marginibus, infici ab athleticis nequeant, qui uncti se exercent in scammate. Cujusque gradus retractio sesqui-pedem explet.

Jam si has omnes mēsuras conferamus in unum, colligentur pedes 38, quibus si addideris pedes quatuor, quot sibi vindicant stylobatæ, comperies Porticum eam in latum extendi pedes minimum 42; quando latitudines marginum, & scammatiss, quas hic Vitruvius exhibet, minores sine vitio esse nequeunt: nihil tamen obstat, quin in majus spatium diffundi queant.

Et hæc Porticus posita a Vitruvio est pro regula latitudinis Porticum cæterarum, quas propte-

propterea nos pedum 42 singulas fecimus. De lateribus stylobatarum tacuit Vitruvius, quia incerta sunt, & variari ferme pro arbitrio possunt. Nos pedes quaternos gratia exempli dedimus. Si cui libet, plus minusve sumat.

Ecce, ut Vitruvius more magnorum virorum, non omnes, sed paucas hujus ædificii mēsuras exhibet, eas scilicet, quæ reliquarum omnium regulæ sunt, & ex quibus facile ceteras, de quibus ipse silet, possumus venari. Nos tamen, ut interpretis munere fungeremur, singulas expressimus.

Mensuræ Vitruvianæ sunt.

Peristylī ambitus pedum 1200.

Longitudo Xysti pedum 600.

Ejusdem latitudo per partes expressa pedum 38, cui addendum latūs stylobatæ.

Et ex his totius Palæstræ, & membrorum principum mēsuræ patent omnes. At in Cellis athletarum ita procedit.

Ephebeum tertia parte longius, quàm latū.

Frigida Lavatio, & tres cellæ Thermarum in versuris Porticus.

Concamerata Sudatio duplò longior, quàm lata. Ex quibus reliquarum cellarum

mensuras facile est colligere : quod & fecimus . Et de Palæstra hæctenus .

## DESCRIPTIO XYSTORUM.

FACIENDA AUTEM XYSTA SIC VIDENTUR , UT SINT INTER DUAS PORTICUS S, T, SILVÆ, AUT PLATANONES ββββ. ET IN HIS PERFICIANTUR INTER ARBORES AMBULATIONES VV. IBIQUE EX OPERE SIGNINO STATIONES δδδδ.

Alteram Gymnasii partem faciunt Xysta in postico Palæstræ sub dio explicata , ab ea tamen disjuncta . Ea concludit Vitruvius Porticibus tectis duabus, S, T, quarum altera ad Septentrionem spectat , altera ad Meridiem , lata quæque pedes 42, ut cetera distantia a columnis ad columnas æquet stadium, id est pedes 600.

Longitudo Xystorum est pedum 642. Hæc ita distribuitur , ut pedes 600 occupent silvæ , ambulationes , stationes , ut in Ichnographia : at qui supersunt pedes 42 prope Palæstram , destinentur Hypæthræ Ambulationi, ut dicam .

PRO-

PROXIME AVTEM XYSTVM R, ET DVPLICEM PORTICVM Q DESIGNENTVR HYPÆTHRÆ AMBVLATIONES X, QVAS GRÆCI ΠΕΡΙΔΟΜΙΑΔΑΣ, NOSTRI XYSTA APPELLANT : IN QVAS PER HIEMEM EX XYSTO R SERENO COELO ATHLETÆ PRODEVNTES EXERCENTVR.

Docet Vitruvius distingui apud Latinos Xystum, & Xysta; ut Xystus sit Porticus, ubi sub tecto athletæ per hiemem pluvio tempore exercebantur: Xysta verò sint subdivalis ambulatio, quò per æstatem, & coelo sereno commigrabant ad consuetas exercitationes. Græce tamen uterque locus præcise ξυστός dicitur. Plena oratio in subdivali esset ξυστός ἀρόμῳ, in tecto σοῦ ξυστός, Attice. Inde σύμπασις ξυστός in Inscriptione Romana.

Μ. αὐρηλίου δημητρίου ἀρχιεπιστοῦ 1ῃ  
σύμπασις  
ξυστοῦ διὰ βλε ξυστάρχου.

Hoc est, *Xystarcha utriusque simul Xysti*, & tectæ, & subdivalis. Hæc enim, missis aliorum nugis, ita capienda sunt. Et athletæ σύντοδοι ξυσταὶ dicuntur ab Imperatore Antonino in alia Inscriptione.

30  
 30

συνόδω  
 ἐν τῇ ἰσθμῷ περὶ τὸν ἡρακλεῖα ἀθλητῶν  
 ἱερoneίων  
 στεφανέων χαίρειν.

Quin nec Latini semper eo discrimine,  
 quod notat Vitruvius, usi sunt: & Hypæ-  
 thræ Ambulationem quandoque *Xystum*  
 dixerunt. Quod quidam reperiri perperam  
 negant. Constat id ex verbis Valentiniani  
 in Codice Theodosiano: *Exceptis Porticus,*  
*Xysti Virginumque Vestalium, quot Regio-*  
*nes Urbis sunt, totidem constituentur Ar-*  
*chiatri.* Ubi *Porticus* est, quæ Vitruvio *Xy-*  
*stus*: at *Xystus*, quæ eidem *Xysta*, & περιδρομίδες.  
 Budæus vir egregie doctus, legit παραδρομίδες,  
 quod essent juxta δρόμους, ceterosque in assen-  
 sum traxit. Sed non ego credulus illi, qui  
 sciam ipsa hæc *Xysta* esse δρόμους. Quare nihil  
 mutandum. Vitruvius περιδρομίδας vertit *Am-*  
*bulationes*. Quod utriusque linguæ studiosi  
 non negligent.

Erant Hypæthræ Ambulationes proxi-  
 me *Xystum*, & *Porticum* duplicem, stadia-  
 tam scilicet. Quod stare non potest, nisi  
 collocentur in postica parte Palæstræ: a qua  
 tamen

ramen proxime distabant, pedes, si libet, 21, id est dimidia Porticorum latitudine, ut athletæ brevi itinere ex proxima Xysto prodeuntes, pervenirent ad Xysta. Horum longitudo stadium æquat, quantum inter se distant laterales Porticus S, T, quibus concluduntur. Latitudo pedes 42.

## DE STADIO.

POST XYSTUM AUTEM R, STADIUM Z ITA FIGURATUM, UT POSSINT HOMINUM COPIÆ CUM LAXAMENTO ATHLETAS CERTANTES SPECTARE.

Partes Gymnasii ultimo loco descriptæ, id est Xystus, & Xysta, privatis athletarum, exercitationibus erant destinata, ad quas tamen spectandas non minima hominum vis confluebat. Stadium verò adibant athletæ ad decertandum in publicis solemnitatibus, tanquam ab umbra prodeuntes in Solem, & pulverem, ut a totius Græciæ oculis spectarentur. Propterea circa Stadium Vitruvius gradus pro spectatoriis exigit, gradibus Amphitheatri non dissimiles, qui ingenti hominum multitudini capiendæ sint pares.


Longitudo Stadii neminem latet. Lati-

tu-

tudo erat, opinor, pedes 42; nam etsi hîc nulli stylobatæ, extabant tamen in medio cippi  $\kappa, \kappa, \kappa$ , e lapide quadrato singuli. Primus, qui stabat in principio Stadii, inscriptum in uno latere habebat,  $\text{ΑΡΙΣΤΕΤΕ}$ , *Vir esto*. Alter, qui in medio cursu, eodem modo  $\text{ΣΠΕΤΑΒ}$ , *Festina*. Tertius, qui in fine pro meta erat,  $\text{ΚΑΜΥΟΝ}$ , *Volve*. Hæc eadem in altero latere erant  $\text{ἐπιτάφια}$ .

Quicunque harum rerum sensum habent, & Vitruvium intelligunt, quin recte a nobis Gymnasium descriptum sit, dubitare non possunt. Aliorum hac in re errores, qui multi, & maximi sunt, quisque jam per se deprehendere potest; nec enim nostri moris est imitari eos, qui in viros doctissimos juveniliter insultant.





# CAROLUS PONARUS

## LECTORI S.



*U*perioribus diebus, cūm differ-  
tatiuncula hac de Mausolei  
Architectura esset jam formis  
excudenda, accidit, ut Auctori  
sermo oriretur cū V. Cl. Didaco  
a Venadia, quem officii causa convenerat, de  
Nummo, qui frequens apud Antiquarios, &  
ex una parte Artemisia  $\pi\epsilon\sigma\iota\omicron\mu\epsilon\nu$  effingit, ex  
altera Mausoleum. Is statim, ut est crudi-  
tissimus, eum a Gisberto Cupero adnotatio-  
nibus illustratum ostendit, de quo noster Au-  
ctor antea inaudierat nihil; quare pro indi-  
cio egit viro prestantissimo gratias, quando  
hac nosse sua vel maxime intererat. De eo  
Nummo quid sentiat, quæris? Eum quidem  
cum Cupero fictitium, & male nota agnoscit:  
at artificem fuisse ingeniosum, & qui men-  
tem Plinii optime perceperit, ut Cuperus


E

con-

contendit, id verò negat. Causas, quibus  
 adductus ita statuatur, hic tibi in limine notas  
 facere, non alienum puto. Circa columnas  
 non uno modo artifex allucinatur; nam &  
 decem numero in fronte Mausolei exhibet,  
 duas scilicet minus vero: & in adificio Pe-  
 riptero angulares omittit; ut de gradibus Py-  
 ramidis taceam, quos ob summam negligenti-  
 am quinque tantum exprimit. An hoc  
 sit Plinii mentem assequi, tui iudicii esto. Au-  
 riga in summo conspicitur, tanquam Hiero-  
 nica, in curru sedens, cui a tergo Victoriola  
 coronam imponit. Verius tamen est, repre-  
 sentasse Agitatorem erectum, instar aurigan-  
 tis in Hippodromo. Sed ne quid dissimulem,  
 inter tot errores illud recte habet, quòd  
 Mausoleum <sup>Pyramidis</sup> sit, & quòd Scala subje-  
 cta cernantur. Quae sane duo, cum ad Pli-  
 nium intelligendum maxime faciant, Cupe-  
 rus tamen aut non vidit, aut neglexit. In ea  
 quo casu artifex Nummi inciderit, nescio.  
 Certe casu, ut argumèto sūt reliqua, quae ha-  
 bet, falsa, inepta; nam qui hac e Plinio certa  
 ratione elicit, in ceteris errare non potest.  
 Extat & alter Artemisia Nummus in nobi-  
 li

li Museo Francisci Picchetti, adulterinus  
 & ipse, sed inventurarius, nec Cupero vi-  
 sus, in quo quadam meliora sunt, qua-  
 dam deteriora, nonnulla paria. Scalas exhi-  
 bet, & quidem expressius. Columna pa-  
 riter decem in fronte visuntur, sed sanio-  
 ri consilio extrema dua angulis insident.  
 At verò perperam altitudo inferior una  
 constat Zona, quam efficiunt Columna  
 cum trabeatione, quas podium finit. Tum  
 surgit Pyramis multiplicibus distincta gra-  
 dibus, ubi, quod mireris, latus quod-  
 que est per medium, a summo ad imum,  
 profundiori semita intercisum. Unde hoc ar-  
 tifex hausit? sine dubio, ex vano; alioqui  
 commendandus in Quadriga, quae tanquam  
 in cursu est, etsi Agitator attritu oblitera-  
 tus, non appareat. Ita sese Nummi isti in vi-  
 cem refellunt, falsique arguunt. Nec te plu-  
 ribus morer: ad ipsam dissertationem adi.  
 Vale.





# DE MAUSOLEI

## ARCHITECTURA.



Ulchre sibi consuluerunt viri de Plinio optime meriti, qui licet omnem operam in eo auctore illustrando posuerint, tamen quæ ab ipso de Mausolei structura produntur, pœne intentata reliquerunt. Illos sane absterruit laboris difficultas, dubiusque exitus; rem enim undique involutam satius est omnino non attingere, quàm faticando nectere magis: aut certe re nihilo minus inconfecta discedere. Id consilium imitari tutum erat; nisi contrà revocassent alii, quos animi impetus eò impellit, ut quæ a ceteris omnibus desperata videt, ad ea promptius aggrediantur. Quos ut hîc sequar, facit non laudis aut cupido, aut spes: sed facilis in lapsu culpæ deprecatio. Ecquis enim

enim non ei libenti animo parcat, qui in iis offendit, & labitur, quæ sibi quoque impervia fateatur?

Verba Plinii de Mausoleo hæc sunt. *Pates ab Austro in Septentrionem* (alii Codices, *ab Austro, & Septentrione*) *sexagenos ternos pedes: brevius a frontibus: toto circuitu pedes ccccxī. Attollitur in altitudinem xxv cubitis. Cingitur columnis xxxvi. Quidam addunt, Pteron vocavere. Et mox. Supra pteron pyramis altitudinem (vel, altitudine) inferiorem aquavit, xxi iiii gradibus, in meta cacumen se contrahens. In summo est quadriga marmorea, quam fecit Pythis. Hæc adjecta cxl pedum altitudine totum opus includit. Hæc ipse.*

Palàm est, a Plinio quæstionem Architectis explicandam proponi, his membris edifici, his mensuris, quæ ipse prodit, universam Mausolei formam, dispositionemque pervestigare. Eam nos, quâ fieri potest, solve conabimur; si modò prius insigne ex verbis Plinii mendum, quod euntes nos remorari posset, amoveamus; nam cùm totum opus quatuor lateribus fuerit conclusum,  
quæ

quæ non omnia æquali proportionē inter se convenirent, sed opposita duo longius excurrerent; Plinius ait, latera fuisse porrectiora, frontes breviores. Quod stare nullo modo potest; nam si latera explent singula 63 pedes, & totus ambitus pedes colligit 411; qua demum ratione frontes breviores erunt? Certe emendandum, *Longius a frontibus*: vel, *brevius quàm a frontibus*. Quanquam de hoc ambitu quid statuendum sit, porrò dicemus.


Illud primò pro *Ichnographia* occurrit; in eo, quem posuimus, ambitu quæ fuerint intervalla columnarum a centro ad centrum, quotque earundem singulis lateribus tributæ. Res, ut omnia conere, exitum, nullum habitura est, nisi sciamus, præteritas a Plinio esse partes quasdam minus principales, quas nobis scrutandas mensuris a se prolati reliquit, ut haberemus in quo industriam nostram exercere possimus. Sunt hæ partes, Aditus duo, unus in fronte, alter in postico: & Scalæ, quæ ædificia a plano erigentes, iisdem non minimam dignitatem, majestatemque conciliant. Ita omnia pulchre

chre inter se apta congruent , ut demonstrandum est.

Ichnographia Mausolei sit B. In latere AC extabant sine dubio columnæ octo , abeuntes invicem pari intervallo pedum novenum , si computationem a centro ad centrum ineamus ; ita enim habebimus pedes 63 , quot Plinius lateri adscribit . Si in Plinio retineas , *Ab Austro ad Septentrionem* , latus AC ad Occidentem verget , ut expressimus in Ichnographia . At si placet altera lectio , *Ab Austro, & Septentrione* , Meridiem spectabit .

Hoc , veluti Herma quodam in trivio , statuto , cetera in prono erunt , & facile investiganti sese obvia ferent ; inde enim fit , ut in frōte A D fuerint dispositæ columnæ duodecim , computatis angularibus , A , D : quæ & ipsæ novenos pedes distent singulæ , excepto medio spatio E G , quod laxius est , ut facilem aditum petentibus cellam præbeat : qui aditus latitudinem habet , quæ Sclarum erit , pedum decem semis . Itaque frons A D excurrat ad pedes 100  $\frac{1}{2}$  .

Necdum tamen res confecta est ; nam G  
col-



CANON PEDVM 100

1 . 1 . 1 . 1 . 1 . 1 . 1 . 1 . 1 . 2

colligantur in summam unam omnia quatuor latera , comperiemus integrum ambitum A D F C conficere pedes 327 : & deficient a calculo Pliniano 84. Nihil tamen id nos turbat, nec de gradu movet; quin aditum ad cetera investiganda aperit. Sane ambitus, quem metitus est Plinius, non progreditur per lineas , quæ columnarum centra percurrunt, ut a nobis hætenus factum: sed extimam radit Scalarum oram H I L K, ut

ut ipse rerum omnium inter se nexus , & consensus ostendit . Quæ probandi ratio omnium firmissima est .

Itaque pro Scalis extruendis , partiemur reliquos pedes 84 in octo exteriora latera Quadratorum M N, T S, R Q, P O . Et cuique lateri contingent pedes decem semis . Numerant ergo Scalæ in latere pedes 84, in fronte pedes  $121\frac{1}{2}$  . Qui si duplicentur, exhibent , ne uno quidem minus , summam Plinianam 411 .

Hæc vel invitis fidem facient , nos *ἰσχύοντες* sensisse ; tamen si quæ dubitatio reliqua esse potest, eam eximent Scalæ ipsæ, quæ non casu, aut pro arbitrio, sed certa ratione hoc spatium nactæ sunt . Primò enim Sclarum latitudo maximam concinnitatem habet ex ipso membrorum commensu ; æquat enim, aditum Mausolei E G , cùm utrobique numerentur pedes deni cum semisse . Deinde graduum impar numerus est ; quia enim retractio gradus cujusque minimum sesquipedalis est ; ascensus ad Mausoleum erit per gradus septem , quot capit latitudo pedum  $10\frac{1}{2}$  . Quem imparem graduum numerum


F

olim

olim in Scalis folicite perquisitum; nemo nescit, ob superstitionem ingrediendi dextro pede; nam qui eo primum gradum ascendit, eodem in eedes, aut in templum perveniet.

Ex his constat & illud, basis Plinthum in columnis expleffe pedes tres, quoquo versus; nam supremus Sclarum gradus sesquipedalis sub columnas excurrrens, desinit in ipsarum centrīs. Nec projectura basis procedere extra solidum gradus ultimi potest.

Sed abs re non fuerit, antequam progrediar ulterius, hīc quo alio exemplo ostendere, in ædificiorum membris, mensurisque tradendis quædam præteriri, quæ indidem supplenda peritis permittuntur. Exemplum esto ex Plinio ipso, qui de Templo Ephesiæ Dianæ hæc habet. *Universo Templo longitudo est ccccxv pedum. Latitudo ducentorum viginti. Columnæ centum viginti septem a singulis Regibus factæ, LX pedum altitudine.* Ex quibus nunquam te expedies, nisi in fronte sint columnæ 22, distantes intervallo denum pedum a centro ad cætrum; relicto medio spatio 20 pedum pro aditu, seu ostio.



ostio . In postico columnæ 23 , ostio nullo .  
 At in quoque latere extent columnæ 43 ,  
 computatis angularibus , inter quas pateant  
 aditus bini, pedum duodenum cum semisse  
 singuli . Ita ambitus cum numero columna-  
 rum recte congruet . Aditus quisque late-  
 ralis extabat, opinor, inter columnam 14, &  
 15 , ordiendo semper hinc inde ab angula-  
 ribus, ut medium inter aditus spatium occu-  
 paverint columnæ quindecim . Alia de hac  
 æde Architectis scitu digna habes apud  
 eundem Plinium lib. 36. cap. 23 .

Sed ut revertar ad rem, postrema verba,  
 quæ in quibusdam libris Turnebus legit,  
*Pteron vocavere* , quin hic perperam assuta  
 sint ob sequentia illa , *supra Pteron* , vix est,  
 ut dubitemus ; quod & ex his , quæ dicturi  
 sumus, clare constabit .

Progrediamur modò ad erectam frontis  
 imaginem , quæ *Orthographia* nuncupatur .

Prima Mausolei altitudo surgebat ad cu-  
 bitos 25 . Putant a Plinio cubiti nomine in-  
 telligi pedis unius, & dimidii mensuram ;  
 quæ tamen errorẽ facile extorquebit compu-  
 ratio, quã Plinius de totius Operis altitudine

in-

instituit. Ea est pedum 140, quorum 25 cubitos tribuit inferiori altitudini, totidem superiori: quod reliquum est, occupatum a Ptero, & Quadriga ait. Quocirca si cubitus hic sit sesquipedalis, surgent Pteron, & Quadriga ad pedes 65. Quod facile recipiet nemo. Certe omnia respondent melius, si capimus de Cubito *Historico* pedum duorum; sic enim appellatur, ut prior ille cubitus *Regius*, aut *Iustus*. Hero de mensuris. ὁ πῆχυς εὐθυμείρικὸς ἢ βασιλικὸς καλέμενος πόδας φιλειαιρικὸν ας'. ὁ πῆχυς ὁ ἰσσηρικὸς δακτύλος λβ', πόδας δύο. Quam dimensionem si sequamur, altitudo Pteri, & Quadrigæ explebit pedes non amplius 40. Quod verius est.

Erit ergo prima altitudo pedum 50; non a summis scalis, sed a plano. Septem scalarum gradus alti sunt pedes 5, uncias 10; cum singuli, ut mollis sit ascensus, non sint crassiores dextante. Subductis his, reliqui fient pedes 44 cum sextante, quos partim vindicabunt columnæ, partim mediæ Zonæ paries.

Ad inveniendam columnarum altitudinem nos veluti manu ducere potest spiræ Plinthus, quæ trium pedum quoque versus est

est, ut jam observavimus. At quod columnarum genus seligemus? Cùm plura tentando experti essemus, nihil comperimus, quod æque calculo, & rationi respondeat, quàm genus Corinthium; quod etiam ob altitudinem, qua reliqua genera superat, apte huc venit. Hæc præsertim in causa fuere, cur rejecerimus columnam Doricam, quæ alioquin, ut severioris structuræ, satis Heroibus conveniebat. Nolui hæc silentio præterire, ne forte quod judiciũ fuit, oblivio videretur.

Projectura basis ab uno latere esto quadrans crassitudinis, seu diametri columnæ in imo scapo: quæ est ~~in Dorica~~ basis in genere Dorico, sed & generi Corinthio usui est, ubi nimirum columna a solo surgit, id est basim habet, sed non stylobatam. Ergo crassitudo columnæ erit pedum 2: integram projecturā basis faciet pes unus, hinc inde semis. Hæc omnia simul juncta efficiunt pedes tres, quot Plinthis latus habet. Et quia in genere Corinthio altitudo columnæ cum basi, & capitulo novies superat dimetientem imi scapi, hinc ea erit pedum 18, in hunc modum; Capitulum altum p. 2: spira p. 1: scapus p. 15.

Pro

Pro Epistyllo, Zophoro, & Corona capiemus quadrantem pedum 18: qui tributus in partes decem, tres cedent Epistyllo, totidem Zophoro, reliquæ quatuor Coronæ, Ita unâ cum trabeatione columna evadet alta pedes 22 semis. Interim, si minima quæque nimis curiose conspectatus videor, excusabit, opinor, nos, quod ita singula lucem sibi mutuò dant, & recipiunt. Ex Templo Ephesio vir doctus conjectat, columnis altitudinem fuisse pedum minimum 60. Quæ divinatione quid levius? Quid verbis Plinii magis contrarium, qui palàm columnas intra altitudinem 25 cubitorum concludit?

Hinc est, intercolumnium patere pedes septem, in quod spatium columnæ tres cum dimidiâ inferi possunt. Quocirca est ædificium speciei Aræostyli, quam damnant Architecti, quod epistylia ob intervallo-  
rum laxitatem frangi facile possunt. At damnant, ubi grave onus ferre debet; nam si summæ trabeationi paries nullus superstruatur, non repugnant. Vitruvius lib. 6, c. 4. de impluvio: *Peristylia ne minus trium, ne plus quatuor colum-*

*na-*

*narum crassitudine inter se distent*. Ea laxitudo in Mausoleo videtur electa, ne signa, quæ sine dubio ad parietem Cellæ sub apsidibus erant, & a quibus ædificio huic maxima commendatio accessit, columnarum objectu, & frequentia obscurarentur.

Paries ergo non incubuit columnis, quæ certe ei ferendo non sunt. Mihi omnino videtur, intra septum columnarum A D F C stetisse parietem a b d c, qui distaret a columnarum basibus, quantum ipsæ bases inter se distant, idest pedes sex; ut ambulatio fuerit circa Mausolei Cellam sub Porticu; neque enim adhærere columnis paries recte potest, quando anguli A, D, F, C, a columnis obsidentur.

Quod si columnis podium placeat imponere, quod summam trabeationem finiat, non repugno. Id ratio exigit, licet non sit verbis Plinii comprehensum.

Et hæc Plinio est inferior Mausolei altitudo, cubitorum 25, cui primam Zonam Porticus facit, secundâ interior paries superextas ad pedes 21 curbasse. Et hinc desinunt fornices Cellæ.

Sequitur deinde Pteron pro tertia Zona. Falluntur quicunque Pteron prima altitudine

ne

ne concludi putant: quos manifeste Plinii calculus rejicit; cum enim prima ædificii altitudo fuerit pedum 50, Pyramidisque par elevatio, reliqui 40 erunt tribuendi soli Quadrigæ. Quod est ineptum. Præterea hæc omnia Plinius satis aperte distinguit, qui ubi primæ altitudini tribuisset 25 cubitos, tum de Ptero meminit, nulla prodita mensura: progreditur deinde ad Pyramidem, quam pariter 25 cubitorum facit: mentionem tandem injicit Quadrigæ, nulla etiam dimensione apposita. Sed quæ & Pteri, & Quadrigæ altitudo fuerit, docet, ubi totum ædificium pedes 140 æquasse testatur. Stet ergo pedes reliquos 40 inter duo hæc membra tribui debere. Quadriga sibi 20 vindicat, ut dicam: quare totidem relinquentur Ptero. Id & symmetria poscit, ut ex quatuor partibus, sicut est æqualis prima tertiæ, ita sit secunda quartæ. Quod in his rebus magnum est argumentum, si non maximum.

Hæc ultima Mausolei Zona, undique patens, & pervia, solis columnis erat distincta; nam *Pteri* nomen ad columnas refertur, ut argumento esse possunt verba Architecto-

G

rum

rum illa, *Monopteros, Dipteros*, & hujus generis alia. Non in unis modò lateribus, sed per totam areæ capacitatem surgebant columnæ, quæ multiplici discursu varias Porticus efficientes, opere fornicato Pyramidem substinebant, ut extorquent hæc veteris Poëtæ carmina.

*Ære nec vacuo pendentia Mausolea  
Laudibus immodicis Cares in astra ferāt.*

Hic *Mausolea* sunt, ut quisque videt, suprema Mausolei pars, idest Pyramis. Eam *pendere* ait. Quod verbum Architectonicum est. Dicitur de ædificiis, quæ concameratione substinentur, ut *balnea pensiles, urbs pensilis* Plinii. Ita ipsi fornices *suspendere* dicuntur ea, quæ superstructa sunt. *Suspensuras caldariorum* habes apud Vitruvium. *Suspensuras cellarum*, & *cuniculis pavimenta suspendere* apud Palladium.

Pteri nomen huic Zonæ etiam ex eo convenit, quòd suprema sit; nam quidquid extremum est, *Pteron* quandoque dicitur: quare moles ædificiorum extra murum Ægyptii Labyrinthi, *Pteron* Alexandrini vocabāt, ut Plinius me-

memorat. Sed prior explicatio longe aptior, & verior.

Dispositionem, & numerum columnarum in lateribus Pteri, quanquam id nihil conducat ad Plinium intelligendum, qui de illis privatim non meminit, quia tamen inde totius ædificii ratio magis, magisque inclarefcit, hinc ne quid intentatum relinquamus, investigare alienum non est.

In Ichnographia B, area Cellæ a b d c ad altitudinem pedum 50, ubi Pteron incipit, ob acclivitatem, & contracturam parietum decrescit. Aptè decrescet quoquo versus sesquipedem, ut latus a b evadat pedum 45 : frons b d pedum 82 semis.

Jam si libeat, in his columnas collocare ad Pteron efformandum, valde laborandum non est; nam latus capiet columnas 8, quarum centra distent spatio pedum senum. Ita colliges pedes 42; relicto pro angularibus columnis forinsecus hinc inde sesquipede, ne bases extra solidum procurrant.

Pari ratione tres pedes eximemus e longitudine frontis, in qua ita disponentur columnæ 14, ut ad latera senæ sint, in medio spatio duæ.

G 2

Ex

Ex his pronum est intelligere, Pteron fuisse in genere ædificii Pycnostyli, ut superimpositum Pyramidis onus exieperet, & ferre posset: ob quam etiam causam electæ fuere columnæ iis breviores, quæ erant in Porticu primæ Zonæ; non enim excedunt cum fornicibus altitudinem pedum 20.

Supra Pteron ergo quiescebat Pyramis, quæ Mausoli sepulcro imposita est more Ægyptio; in eo enim opere excitando Artemisia cum Ægyptiis magnificentia certavit, vicit elegantia, & subtilitate artis. Surgebat & ipsa, ut inferior altitudo, ad cubitos 25, gradibus 24 distincta, ut cujusque gradus crassitudini cesserint supra unciam, pedes duo. Et id ad imitationem Pyramidum Ægyptiarum, in quibus lapides ita commissi sunt, & apti, ut ascensum usque ad summam planitiem præbeant: durum tamen illum, & difficilem, ob nimiam graduum crassitiem, & retractionem ita brevem, ut vix consisti vestigio possit. Exemplum exhibet Serlius.


Commentū viri docti, qui nuper Pliniū illustravit, de duplici Pyramide, quarum una inferior, 25 cubitos alta, inclusa colūnis surgētibz  
ad

ad pedes minimū 60 : altera superior his colū-  
nis innixa, æqualis primæ; nihil moror. Nec eò  
ducunt verba Plinii, *Pyramis altitudine infe-  
riorē aquavit*, quæ aliud omnino sibi volunt;  
sūt enim referenda non ad ullā Pyramidē, cu-  
jus nulla in antecedentiōus mentio : sed ad al-  
titudinem inferiorem, expressam in illis : *At-  
tollitur in altitudinem 25 cubitis*. Alii Codi-  
ces clarius habent : *Pyramis altitudinem in-  
feriorem aquavit*. Denique nihil certius, quā  
a Plinio nō nisi exteriorē operis faciē describi.

Pyramis paulatim sursum versum decre-  
scens in summo velut abrupta, diffundebatur,  
& patefcebat in campum. Non enim desi-  
nebat in fastigium A, sed tollens se a centro B  
usq; ad O pedes 50, secta erat parallelogrammo  
altera parte lōgiore EI, quod undiq; & que dista-  
bat a basi Pyramidis T C. Latera E F, FI  
hujusce plani quàm facillima investigatu sunt.

Esto perpendiculum A B æquale lateri ma-  
jori basis T D, idest pedum 81 semis, seu du-  
plum ipsius B S. Et ab ipso A B auferatur B O  
pedum 50, remanebit A O duplum O G, seu  
æquale E F, pedum 31 semis.

Rursus ut A B pedum 81 semis ad B K 22,  
di-



dimidium lateris minoris DC, ita AO  $31\frac{1}{2}$   
ad OH, idest FG, pedum  $8\frac{1}{2}$ , & quod excur-  
rit. Quocirca totum latus FI erit pedes 17.

Hanc aream, ut oblongam, decenter occupabat Quadriga, qua agitadores in Stadio Olympico decurrebant. Erat, opinor, tanquam in cursu, ut speciem exhiberet humanæ vitæ continuè properantis ad metam. Ecquod aptius sepulcro symbolum? Alexis.

— τὸν γὰρ ὕπατον  
 ἰστέχων διάυλον τῷ βίῃ, ζῆν βέλομαι.

## Eò

Ed è etiam pertinent naves , quas aliquando sepulcris appositas scimus . Ecce Simeon Thasfi in Mausoleo, ad omnem memoriam illustri, quod prope a Diospoli excitavit , navem singulis Pyramidibus adjecit . Describitur a Josepho . Trimalcio apud Petronium . *Te rogo, ut naves etiam monumenti mei facias plenas velis euntes .* Quasi non alius nos portus excipiat , quàm sepulcrum .

Ipsa areæ latitudo pedum 17 ; argumento est , membra Quadrigæ in duplum fuisse aucta, ut longo intervallo extenuata, justam magnitudinem oculis spectantium objicerent . Equi cursoris crassitudo cùm sit pedibus duobus minor , constat pedes  $8\frac{1}{2}$  apte tribui quatuor equis , relicto justo spatio tam pro mediis equis jugalibus, quàm pro extremis funariis. Ergo qui assignat ipsis pedes 17, auget in duplum .

At areæ longitudinem pedum 31 semis, nō totam equi, & currus explebant ; nam concertantium currus brevissimus erat, duabus tantum rotis delatus , cui duplicato non nisi pedes quinque deberi possunt , ut alii 15 cum semisse equis , & ipsis in duplum auctis . Et ita  
ante,

ante, & pone relictī in area quini pedes cum semisse puri ad Stadii longitudinem designandam, tāquā Quadriga in medio spatio esset, relictis hinc carceribus, illinc provolās ad metas.

Sed jam ad se nos vocat Agitator, qui in curru erectus, & imminens equis animos addebat, ut repræsentatur in nummis Neronis, & Severi, & in eo, quem Crotoniatæ in Trajani honorem cuderunt. Is, si eandem proportionem servamus, ingrandescebat ad pedes 12, quando sex pedum justa hominis magnitudo est, Vegetio teste. Cui si octo pedes currus altitudo duplicata addidit, jam tota Mausolei moles fuerit alta pedes 140, ut Plinius habet. Nihil est ergo causæ, cur Dalecāpius numeros Plinianos corruptos causetur.

In hac tota Mausolei structura nihil esse arbitror, quod Architecti non commendent; nisi forte aliquem offendat ostium in majori latere situm. Quod, opinor, in causa fuit, ut in Plinio hodie legatur, *brevius a frontibus*. Huic difficultati certius respondere possemus, si nobis auctores membra, & opera, quæ intus in Cella extabant, nota facere voluissent. Certe causam aliquam inveniremus non diffi-


diffimilem ei, quæ veteres Architectos impu-  
lit, ut & in Gymnasio ostium in latere majori  
aperirent. Nunc in tanto eorum silentio dif-  
ficilis divinatio est. Quid, si per Cellæ spatia  
duo sepulcra disposita credamus, unum Mau-  
solo, alterum Artemisiæ? quando & viven-  
tes sibi monumenta extruebant, heredum of-  
ficia præsumentes. Unde in veteribus sepul-  
crorum lapidibus frequenter illa occurrunt,  
V. S. idest, *vivo sibi*. Et in Oriente de Asa,  
Sobna, & Josepho Arimathæensi notum est,  
ut de aliis sileam. Si ita, inquam, credamus,  
quid aptius, quàm ostium in majori latere  
collocare, ut ingredienti Cellam, statim  
alterum ad dexteram, alterum ad sinistram  
haberent? Artemisiæ etiam amor persua-  
det, ut non alibi quiescere voluerit, quàm  
ubi mariti sepulcrum spectaretur. Sed hæc  
diffinire periculosum est; nec eò dico, ut  
quidquam affirmem, sed ut intelligamus  
non deesse causas, ob quas ostium a latere  
minori in majus transferri non modò de-  
cens, sed propemodum necessarium sit.

Et hæc pro Plinii quæstione dissolvenda,  
dicere habuimus de Mausoleo, quod om-

H

nium

nium artificum oculos tenuit , & de cujus  
symmetriis commentaria reliquere Archite-  
cti in primis nobiles , Satyrus , & Pytheus, ut  
Vitruvius libri 7. procemio memorat : quæ si  
extarent , nostra hac dissertatione nihil fuisset  
opus . Cerera de Mausoleo in tanta notitia,  
ingerere, & inculcare vanum esset .



DE



# DE HARMONIA TIMAICA



Timæi physiologiam, quæ superata temporum invidia, integra ad nos pervenit, tanti Plato fecit, ut in eam veluti commentarium dictare non sit dedignatus. Et plane dixerim, nihil æque gloriam Platoni conciliasse, quàm quæ in Timæo habet, non hausta, ut quidam e veteribus falsò opinati sunt, de libris postumis Philolai Crotoniatæ; sed, ut res ipsa loquitur, e libello Timæi Locri, qui Dorice inscribitur, *περί ψυχῆς κόσμου, ἢ φύσεως*. Hic & Mundi Harmoniam, & Ideas, & quinque Geometrarum Homogenea corpora, & Circumpulsionem, & alia reperire est, quæ vulgò Platoni tribuuntur, Non ne-

gaverim, plurima in Timæo perobscura, apud Platonem luce donari, quæque silente eo, vereor ut ab alio quoquam potuerint deprehendi. hæc tamen ipsa a viva voce Timæi accepta nobiscum Platonem communicasse credere par est, quando ut ejus non modò os intueri, & sermonem audire, verùm etiam ut penitus perspicere intimos animi sensus posset, Locros Epizephyrics contendit, id quod a Cicerone proditum est libro 5 de Finibus: *Cur Plato, inquit, Ægyptum peragravit, ut a Sacerdotibus barbaris Numeros, & Cœlestia acciperet? Cur post Tarentum ad Architam? Cur ad ceteros Pythagoreos, Echecratem, Timæum, Acrionem Locros?* Et si autem in eo libello de Universa Natura Timæus inquirat, & pertractet, nos tamen in præsens nihil ferme de rebus physicis erimus solliciti, contenti eam solùm partem in manus fumere, quæ ad Mathesim pertinet, & Mundi Harmoniam continet. Ea non est, quæ facta sit ex collisu, & attritu Orbium Cœlestium, de qua nunquam Timæus cogitavit, & posteriorum temporum commentum fuit; sed quæ ex solis numeris constet, quæque non  
sen-

sensus ullos, sed solam mentem demulceat. Contemplatus Timæus perfectum, ratumque Mundi ordinem, in eam sententiam prolapsus est, ut crederet, a Deo Mundum non, nisi Geometricis, & Arithmeticis proportionibus creatum, quæ simul unitæ perfectam Harmoniam in numeris concinnarent. Nos an Mundus ita conformatus sit, ut Timæus opinatur, nihil statuimus, ea omni inquisitione peritioribus permissa. Quæ tamen de Harmonia tradit, ut subtilissimum Mathesis opus, explanare aggrediemur.

Et si autem hic de Timæo potissimum agatur, quia tamen ipse rem paucis absolvit, ideo nos circa ipsa uberiora Platonis verba, ut sunt a Cicerone versa, & in quibus tantopere hactenus insudatum est, hærebimus.

Deus itaque ad Harmoniam Mundi componendam, *Unam principio partem detraxit ex Toto*, ut Plato ait. Quale istuc *Totum*? Aliorum sententias hæc in re audire, est bonas horas perdere. *Totum* hic non est, nisi ea Numerorum summa, quam Deus ad Mundi Harmoniam selegit. Ex ea utique hæc prima omnium pars decerpta est. Quid moror? *To-*

*tum*

tum est numerus 114695; quippe ex totidem unitatibus Harmonia Mundi constat: & ex hoc propterea Deus primam partem accepit. Timæus clariorem etiam faciem accedit, cum quæ prima hæc pars fuerit, declarat. *μίαν ἀφαιρών. (ὁ Θεός) τὴν πρῶτην μονάδων ἔσαν τεσσάρων ποτὶ ὅλην διὰ τὸ καὶ τριῶν ἐκατοντάσι.* *Unam auferens Deus primam partem, quæ sit* 384. Hoc est, ipsum numerum primò accepit, qui esset totius fabricæ veluti primò jactus lapis.

Nam ita Plato pergit. *Secundam autem primæ partis duplam: deinde tertiam, quæ esset secunda sesquialtera, prima tripla: deinde quartam, quæ secunda dupla esset: quintam inde, quæ tertia tripla: tum sextam octuplam primæ: postremò septimam, quæ septem & viginti partibus antecederet primæ.* Dubium esse non potest, quin Geometricas numerorum Progressiones in his Plato insinuet. Ponit ob oculos duas, alteram proportionis duplæ, alteram triplæ, quæ ab uno præ aliis selecto numero exorsa, & in geminos veluti rivos deductæ, hinc inde ad Latera profluunt, tum ad Quadrata, tandem ad Cubos. Statue pro primo termino unitatem, hinc ad duo, illinc ad tria

tria progrediari, quæ prima *Lateras* sunt. Tum ad quatuor, & novem, prima *Quadrata*. Demum ad octo, & ad viginti septem, qui *Cubi* in numeris occurrunt primi.

Si nihil præterea requireretur, confectares esset; sed quando ad absolutissimam Harmoniam numeri, qui simul Geometricam, simul Arithmeticam proportionem nectant, eligendi sunt; ideo non hîc hærendum, ut inepte vulgò fit, sed vestigandum ulterius est, qui numerus pro primo termino, ac tanquam reliquorum fonte statuendus sit, qui que Unitatis vicem gerat, ut ipsi ea Latera, & Quadrata, eos Cubos demus, qui deinde Symphoniarum seu tonis, seu limmatis capaces inveniantur: præterea quo ordine sint collocandi, uno nê versu omnes, an in quincuncem?

Et Crantor quidem Solensis, unus ex multis, qui in hoc curriculo sudarunt recte non alium in primo loco statui oportere numerum voluit, quàm illum ipsum jam indicatum 384. Ergo veritatem odoravit, sed odoravit tantùm; nam cùm deinde reliquos, de quibus hîc agitur, numeros duplici serie

in

64 *Dominici Aulisj*

in quincuncem disponit, omnia corrumpit,  
operamque luit. Eum sequutus fertur Eu-  
doxus.

*Diagramma Crantoris.*

|      |     |     |        |
|------|-----|-----|--------|
|      |     | 384 |        |
|      | 768 |     | 1152   |
| 1536 |     |     | 3456   |
| 3072 |     |     | 10368. |

His verò numeris, quæ porrò in Platone  
sequuntur, nec ulla ex parte aptat, nec si ten-  
tes, pro voto succedet. Ordo est, qui obstat.  
Neque enim fides Plutarcho habenda est,  
qui putat iis, quæ a Platone dicuntur, om-  
nia melius respondere, si pro primo nume-  
ro, dimidium ejus, quem Crantor statuit, po-  
namus, hoc est, 192.

*Diagramma Plutarchi.*

|      |     |     |       |
|------|-----|-----|-------|
|      |     | 192 |       |
|      | 384 |     | 576   |
|      | 768 |     | 1728  |
| 1536 |     |     | 5184. |
|      |     |     | Quid  |

Quid Plutarchum deceperit, suo loco videbimus. Interim certum sit, primam a Deo detractam ex Toto partem, esse ipsum numerum 384. Quo enim potius utemur aut auctore, aut teste, quàm Timæo, cujus etiam verba suprà recitavimus? Hunc & nos capiamus: ei duplum demus, & cetera ordine peragamus, quæ Plato Deum emolitum fuisse ait. Et omnia erunt in proclivi, ita si hos omnes uno versu numeros collocemus: quod scimus Theodorum, & ipsum Solensem, fecisse: sed a quo potissimùm numero fuerit exorsus, nescimus. Sed senserit, ut libet, Theodorus; quid ab eo boni præstari poterit, non video, qui hanc totam rem posteris adeo dubiam, & involutam reliquit. Satis sit, ordinem, quem statuimus, comprobatum iri cùm ex eo, quòd ipsi pulchre respondent quæcumque Plato de Harmonia Mundi tradit, tum præsertim, quòd non alium sibi ratio poscit. Nunc rem ipsam damus: qua verò ratione quidque factum sit, deinceps quæremus.

*Diagramma Platonium Principum  
Numerorum.*

|                                         |        |
|-----------------------------------------|--------|
| I. Prima pars ex Toto                   | 384.   |
| II. Dupla primæ                         | 768.   |
| III. Sesquialtera secunde, Tripla primæ | 1152.  |
| IV. Dupla secundæ                       | 1536.  |
| V. Octupla primæ                        | 3072.  |
| VI. Tripla tertiæ                       | 3456.  |
| VII. Vigintiseptupla primæ              | 10368. |

Quod si omnes terminos cum Timæo ad primum referre libeat, etiam omnes eidem multiplices deprehendemus; nam Quartus est primi quadruplus: Sextus verò nonuplus. Nihilominus a Diagrammate Platonis non deflectemus; eo enim ex oculis sublato, ad sequentia nullus patebit aditus.

Ea verò sic habent. *Deinde instituit dupla, & tripla intervalla explere, partes rursus ex Toto defecans: quas intervallis ita locabat, ut in singulis essent bina Medietates. Earum alteram eadem parte præstantem extremis, eademque superatam: alteram pa-*

ri

*ri numero præstantem extremis, parique numero superatam.* Hactenus velut in luce fuimus, nunc sese tenebræ magis, magisque intendere occipiunt, in quibus quantopere cœcutierit antiquitas, nihil attinet dicere: hoc modò satis sit, neminem ex omnibus unum, vel proxime scopum collineasse. Nobis rectam semel viam ingressis hæc sponte occurrunt, & ipsa se extricant. Scilicet hoc est alterum Dei in digerendis Harmoniæ numeris opus, qui alteros itidem numeros ex Toto, idest ex 114695, decerpserit, quos *πληρώματα, Im-plementa*, Timæus vocat, quibus, ut exponit Plato, dupla, & tripla intervalla Deus replevit, suntque quasi spinæ impactæ costæ. Hæc intervalla in Platonico Diagrammate reperire est in II, III, IV, & VI linea. Eas in hunc modum impleas licet.



*Diagramma Principum Numerorum cum Implementis  
in duplis, & triplicis intervalis*

|                         |        |       |        |        |        |
|-------------------------|--------|-------|--------|--------|--------|
| I Prima Pars            | 384.   |       |        |        |        |
| II Dupla primæ          | 768.   | 864.  | 972.*  | 1024.  |        |
| III Tripla primæ        | 1152.  | 1296. | 1458.* |        |        |
| IV Dupla secundæ        | 1536.  | 1728. | 1944.* | 2048.  | 2304.  |
| V Octupla primæ         | 3072.  |       |        |        |        |
| VI Tripla tertiæ        | 3456.  | 3888. | 4374.* | 4608.  | 5184.  |
| VII Vigintiſcupla primæ | 10368. |       |        |        |        |
|                         |        |       |        | (7776. | 8748.* |
|                         |        |       |        | 9216.  |        |

**Tres**

Tres lineas cavas hic Plato reliquit. Primam, ubi prima ex Toto portio, quam tamen mox implebit: Quintam, quam implere non est, cum ipsū 3072 statim in sesquioctava ratione numerus 3456 excipiat: & Septimam, ubi vigintiseptupla primæ, de qua deinceps disputabimus. Ceteras verò implevit, non ut fors tulit, sed certa, rataque ratione; nam binis nectuntur Medietatibus, quasi vinculis, Implementa singula, & ipsa inter sese, & cum Principibus numeris.

Prior Medietas est, in qua positis tribus terminis, qua parte medius excedit alterum extremorum, eadem vicissim ab altero superatur. Et est hic in numeris lateralibus, qui in sesquioctava ratione sunt, ut Musicum Tonum efficiant. Ita in his 768. 864. 972. medius numerus superat præeuntem octava parte, & superatur a subsequenti parte item octava. Hæc aliis est *Analogia*, & *Geometrica Proportio*, Platoni *Prima Medietas*, μεσότης πρώτη.

Eam ne quæras inter numeros, seu terminos, ubi stellulam apposuimus; nam qui præit numerus octava destituitur parte, prorsus ut  
qui

qui subsequitur, sesquioctavus illi nequeat esse. Magnum tamen in iis latet arcanum; Musicę proprium: nam proximi bini Limma constituunt; majorque ad minorem se habet, ut 256 ad 243, quę est ratio Limmatis. Idque quàm facillime deprehendes, eorundem terminorum multiplices pervestigando. Ne tamen quis erret, numerus 1944 habet octavam partem: sed ejus sesquioctavus 2187, non est, ut oportet, duplus numeri 1024, in secunda linea: idcirco eo relicto, ad rationem Limmatis itum est, & stellula notavimus.

Altera Medietas est, in qua tribus etiam positis terminis, medius pari numero extremum unum superat, pari superatur ab altero: quam hęc reperies descendendo a summo ad imum. Ecce in his terminis, me-

|       |                                |
|-------|--------------------------------|
| 864)  | dius numerus quot partibus ex- |
| 1296) | cedit superiorem, totidem de-  |
| 1728) | ficit ab inferiori.            |

Hęc aliis *Proportio*, & *Medietas Arithmetica* audit, Platoni *μερότης δευτέρα*. Ita singuli fere numeri binis Medietatibus colligantur.

Nihil tamen necesse est, ut numeri recta

al-

alter sub altero sint; hi enim


|        |        |      |
|--------|--------|------|
| 1024 ) | 1728 ) | 2916 |
| 1536 ) | 3456 ) | 5832 |
| 2048 ) | 5184 ) | 8748 |

quamvis disparibus sedibus collocati, Arithmetica Medietate non destituuntur. Idipsum de reliquis dictum esto; ita verò si seponas eos, quicumque hìc proximos multiplices, aut certe proximos submultiplices non habent. Facile studiosi intelligere poterunt quid velim. Ista in Platone obscura, & implicata adeo videbantur, ut viri magni ingenio suo diffusi, assequi se posse desperaverint: nunc, quia deprehensa sunt, quisque tantundem se præstare potuisse jactabit.

Est præterea tertia Medietas, Harmonica, quam hìc perperam obtrudunt, qui Platonem magno errore de Harmonica, & Arithmetica Medietate loquutum opinantur.

Supererat prima linea, suis hæctenus destituta numeris, & mutila: ei denique Deus manus admovit: *Sesqui alteris autem intervallis* (ut Plato ait) & *sesqui tertius* & *sesqui octavis sumptis, ex his colligationibus in primis intervallis, sesqui octavo intervallo, sesqui-*

*sesquitertia omnia explebat, cum Particulam singulorum relinqueret.* Prima interval-  
la intelligit, quæ sunt in prima omnium li-  
nea, cujus caput est numerus 384, præ om-  
nibus a Platónico Deo ad hanc fabricam se-  
lectus. Huic sex alios terminos ad latus ad-  
junxit, ut omnes sint numero septem. Ta-  
les autem summus Opifex accepit, qui es-  
sent inter se alii sesquioctavi, quidam ses-  
quitertii, nonnulli rationem haberent ses-  
quialteram. Nulla verba hæc explicabunt,  
ut sequens Diagramma.



Dubium habet, cur Plato Deum sesquio-  
ctavo intervallo sesquitertia omnia exple-  
se dicat, nulla de sesquialtero mentione ha-  
bita. Non audiverim Plutarchum, dum id  
fa-

factum contendit , quia sesquialtera ratio componi dicatur ex sesquitertia, & sesquioctava , ex quarum quantitibus inter se ductis illius quantitas gignitur . Verum id quidem est , sed hìc locum invenire non potest . Nos ita opinamur . Ad primum numerum 384 promptum est , sesquioctava ratione duce, alios duos ad latus adjungere, 432, & 486. Tum necessariò hærendum est , cùm postremus hìc octava careat parte: quare aliò te veritas oportet , nimirum ad rationem sesquiterciam, quæ numerum 512, primi illius sesquitercium, statim promet. Tres sunt reliqui numeri 576. 648. 729 , quorum priores duos cùm sesquitertia, tum sesquialtera ratione indagare possumus: ultimum verò tantùm sesquialtera, ut in Diagrammate vides . At quia ad ipsos vestigandos sesquioctava ratio est satis , propterea de sesquialtera Plato nihil meminit .

Testatur verò, cùm hos Deus numeros decerperet, majores singulos futuros fuisse, nisi a singulis Deus particulam abjecisset . Sed ipsum audiamus . *Ejus autem Particula*, inquit, *intervallo relicto, habebat numerus ad numerum eandem proportionem, comparationem-*

K

nem-





# Diagramma Harmonia Mundi, ex Timao.

|                     |        |       |       |       |         |       |       |       |
|---------------------|--------|-------|-------|-------|---------|-------|-------|-------|
| I Prima linea       | 384.   | 432.  | 486.  | 512.  | 576.    | 648.  | 729.  | Limma |
|                     |        |       | Limma |       |         |       |       |       |
| II Dupla primæ      | 768.   | 864.  | 972.  | 1024. |         |       |       | Limma |
|                     |        |       | Limma |       |         |       |       |       |
| III Tripla          | 1152.  | 1296. | 1458. |       |         |       |       | Limma |
|                     |        |       | Limma |       |         |       |       |       |
| IV Quadrupla        | 1536.  | 1728. | 1944. | 2048. | 2304.   | 2592. | 2916. | Limma |
|                     |        |       |       |       | 2187.   |       |       |       |
| V Octupla           | 3072.  |       |       |       | Apotome |       |       |       |
|                     |        |       |       |       | Apotome |       |       |       |
|                     |        |       | Limma |       | 6144    |       |       | Limma |
| VI Nonupla          | 3456.  | 3888. | 4374. | 4608. | 5184.   | 5832. | 6561. | 6912. |
|                     |        |       |       |       |         |       | 7776  | 8748. |
| VII Vigintiſeptupla | 10368. |       |       |       |         |       |       |       |

Jam

Jam hosce Numeros in unam Lineam explicata, quæ sit X, & momēto aperiet se tibi omnis Pythagoreorum Musica, quam oculis audias. Esto Cithara quatuor instructa chordis, quarum extremis duo Numeri ex Linea sumpti adscribantur, 384, 512, singuli singulis. Prior detur primæ chordæ omnium gravissimæ: posterior ultimæ, quæ acutissima est. Jam illud Musicæ Intervallum habebimus, quod *Diateffaron* dicitur; sunt enim hi numeri in ea ratione, qua 4 ad 3, quamque in eo Intervallo latere Pythagorasprehendit via, ac ratione vulgò notissima. Exploremus modò, qui toni, siue integri, siue diminuti interjiciantur. Itaque gravior vox tono intendatur in secunda chorda, ubi ea propter erit 432; nā ut tonus est in sesquioctava ratione, ita numerus 432 est sesquioctavus numeri 384 primæ chordæ. Rursus hanc vocem tono attolle in tertia chorda, & fiet 486, qui pariter præeuntis 432 est sesquioctavus. Quid reliquum sit, jam vides: quippe terminus tertiæ chordæ 486 octava parte destituitur, ideo nec tono acui potest: eumque proxime excipit terminus postremæ chordæ, qui est 512, quique ad  
prio-

THE  
JOURNAL  
OF  
THE  
ROYAL ANTHROPOLOGICAL INSTITUTE  
VOLUME 19  
PART 1  
1889  
LONDON  
PUBLISHED BY THE  
EDUCATIONAL SOCIETY  
1889



se habet, ut 576 ad 384, hoc est, ut 3 ad 2: constatque, ut vides, tribus tonis, & limmate.

In reliquis Intervallis venandis nihil est negotii. Nam Diapason ex Diapente, & Diatessaron aptatur, ut dupla ratio ex sesquialtera, & sesquitertia. Ergo quinque tonos habebit, & duo limmata. Diapason & diapente, & Disdiapason ipsa se suis nominibus produnt, & ex quibus constituentur, ostendunt. Quare illud octo stabit tonis, & limmatis tribus: istud tonis decem, & limmatis quatuor. Sic jam omnia in numerato erunt. Nam primum Numerum 384 si omnibus communem terminum ponas, jam inde ad quartum usque est Diatessaron: ad quintum, Diapente: ad octavum, Diapason: ad duodecimum, Diapason & diapente: ad decimumquintum, qui est quadruplus primi, Disdiapason. Singula suis tonis, & limmatis exornata, ut in Linea exacte expressum vides. De numeris, qui reliqui sunt, deinceps disputabimus.

Alienum non est circa Toni divisionem tantisper immorari, in qua ab Harmonicis Pythagoreorum Scholas dissensisse auctor est Plutarchus. Falsi sunt, qui quod Pythagoreis  
Lim-

Limma, id Harmonicis fuisse Hemitonium suspicantur. Nunquam eos hæcenus desipuisse crediderim, cum longe alia sit unius, atque alterius ratio. Aperiemus nos quam maxime viam veteres Harmonici ad Toni divisionem pervestigandam sint ingressi. Quoniam minimi numeri, qui sesquioctavâ rationem exprimunt, 9 & 8 nullum habent in medio intervallum, istos ipsos auctum ivere, & duplicarunt, ut essent 18, & 16. His inter se ductis, conflatur rectangulum 288, quod unitate addita evadit quadratum, cujus radix, seu latus est numerus 17, qui propterea dictus est Tonum bifariam findere: non quò is vere medius sit proportionem numerus, sed quò ad eum proxime accedat. Hinc sibi licere putarunt Harmonici partes, in quas ipsi Tonum partiuntur, *ὀλοχερῶς* *Hemitonia* appellare.

Quod si ad minutiores Toni divisiones, idest ad Dieses, progredi libeat, expedita ratio est. Diesis in Genere Chromatico est tertia pars Toni: in Enarmonico, quarta. Itaque triplica terminos Toni minimos, ut habeas 27, & 24: & duo, qui interjiciuntur, numeri, Tonum trifariam dividunt, dabunt-

L

que

que suas Chromatico Generi Dieses : Quippe in his numeris rectangulum extremorū duabus tantummodò unitatibus ab intermediorum rectangulo deficit . Eosdem minimos Toni terminos quadruplica in hos, 36, & 32: & tres medii numeri in partes quatuor Tonum dispartiētes, Dieses Enarmonico Generi comparabunt . Nec tamen rectangulum extremorum æquat, ut foret opus, illud, quod a secundo, & quarto numero fit, uti nec istud assequitur quadratum medii . Sed non nimis absunt : ideo si chordis reddantur, exiguum, quod inest, discrimen non apparebit, & aures facile sibi imponi patientur .

At Pythagorei Geometriæ innutriti, totam hanc Harmonicorum Musicam respuerunt; quid enim turpius Geometriæ, quàm medios numeros, ut proportionem medios usurpare? Itaque eam aliam amplexi sunt, quam hæcenus exposuimus. Neq; sibi persuadeat quis, hæc ad nostram Musicam, qua ferme ex Ptolemæo utimur, nihil pertinere: imò ita conferunt, ut nihil magis, & facillime ad eam transferuntur, arrepto ipso 384 pro Numerorum principio . Nobis non omnia, quæ dici possent, hîc enarra-

ra-

rare vacat. Satis erit digitum ad fontem intendisse. Proponemus Symphonias compositas solum ex Tono majori, & minori, quorum prior se habet, ut 9 ad 8, posterior ut 10 ad 9. His addemus Hemitonium, ut appellant, majus, quod eam rationem habet, quam 16 ad 15. Et ecce tibi Symphonias quinque suis distinctas sonis, seu *φθόγους*, spatiis, tonis, & hemitonis.



*Symphonia Harmonicorum in Genere Diatonico :*

[illegible]

Quod si libeat in his Comma venari, quod est inter Tonum majorem, minoremque discrimen, & se habet, ut 81 ad 80, id prompte fiet, si conferas Lineam Pythagoreorū X cum Linea superiori Harmonicorum : & compe-

---

mittere suis opus, ita ut alter terminus &c  
Linea, quæ eum non capit, resiliat : ex quo  
hæc Limmata, *analeptæ* audiunt, quasi *abscissio-*  
*nes.*



Quod si libeat in his Comma venari, quod est inter Tonum majorem, minoremque discrimen, & se habet, ut 81 ad 80, id prompte fiet, si conferas Lineam Pythagoreorū X cum Linea superiori Harmonicorum : & compe-ries in illa 432. 486. conficere Tonum majorem: in hac 432. 480. dare Tonum minorem: quocirca ratio 486 ad 480, est Comma. Sed hæc hæctenus.

De Apotomis videamus. Non enim pro arbitrio in Harmoniam Mundi vocatæ ipsæ a Timæo sunt, sed necessitate quadam assutæ. Proponas tibi primum, minimumque Limma 256. 243. & utriusque termini multiplices quære per numeros in serie naturali a binario exordiando; prorsus fiet, ut in novem omnino Limmata incidas, quæ hîc ambos deinceps terminos, majorem, minoremque in Linea habent: alia præterea duo nancisceris, quæ unum tantummodò terminum in Linea obtinent: & sunt 2304. 2187, nonuplum : & 5832. 6144. vigintiquadruplum primi. Quare & ea hîc inferere fuit opus, ita ut alter terminus a Linea, quæ eum non capit, resili-ret: ex quo hæc Limmata, ἀποτομας audiunt, quasi *abscissiones*.

nes . Quantas nugæ effuderint hi ex nostris Musicis , qui ut ceteris peritiores viderentur, de Limate , & Apotome scripserunt, piget referre .

Cur verò ultra numerum , quæ primi vigintiseptuplus est, non processerit Timæus, ut facere quidem poterat, sed in eo hæserit, & terminum fixerit , in causa est, quòd Geometricæ Progressionès, de quibus in principio dictum est , violandæ non erant .


Sic se habent numeri , quibus Mundi Harmonia componitur , quæ tota decem unitatibus in quatuor coalescentibus numeros comprehenditur . Hoc nimirum est, quod sibi voluit celebre illud Pythagoreorum jusjurandum.

ὦ μὰ τὸν ἀμετέρα ψυχᾷ παραδόντα τετρακτὺν ,  
παγὰν ἀνάνω φύσεως , βίβλαμα ἴ' ἔχουσιν .

*Juro per quem Anima datus ille Quaternio nostra ,  
Natura servans fontemque , ortumque perennis .*

Nam quinque Musica Intervalla in Quaternione isto insunt : quippe duo ad unum est Diapason, tria ad unum Diapasonkēdiapente,

te, quatuor ad unum Disdiapason, tria ad



duo Diapente, quatuor ad tria Diateffaron. Ex tot non amplius Intervallis Systema Musicum olim constabat. Imò verò Pythagoras judicavit intra Diapason consistere Musicam debere, si teste Plutarcho stamus in libello de Musica. Unde conjectari quispiam posset, Mundi Harmoniam non tam longe a Pythagora promotam, quàm a Timæo factum est; nam Diapason ultra octavum Lineæ terminum non excurrit, qui est primi duplus: complectitur verò & Diateffaron, & Diapente. Etsi interim non immeritò suspicemur, quæ de Pythagora traduntur, ea nō semper, qua par est, fide commemorari. Certe Pythagoræ Quaternio & Disdiapason, & Diapasonkædiapente comprehendit. Quia verò Harmoniam Mundi in nostro etiam ani-

animo inesse Pythagoras censebat ; hinc Quaternio dicitur πηγή ἢ ῥίζα αἰώνιος φύσις, *radix, & fons aeterna natura*, idest animi ipsius. Nec alia in Quaternione quærenda mysteria.

Sed jam iterum nos Plato vocat. *Hanc igitur, ait, omnem conjunctionem, duplicem, in longitudinem diffidit: mediaque accommodans mediam, quasi decussavit, deinde in orbem torsit, ut & ipsa secum, & inter se ex commissura, quæ e regione esset, jungerentur: eoq; motu, cujus orbis semper in eodem erat, eodemque modo ciebatur, undiq; est eas amplexus. Atque ita cùm alterum esset exteriorem, alterum interiorem amplexus orbem, illum lationem ejusdem naturæ, hunc alterius nominavit.* Gassendus magna eruditione, & ingenio vir, in summam desperationem adductus capiendi quidquam eorum, quæ de Mundi Harmonia Plato habet, palàm optavit exfuscitari virum, quò rogetur, ut hæc sua ænigmata solvat, ut sese tandem intelligi patiatur; inter cetera, ut suam istam Decussationem, seu Chiasmum declararet. At verò nihil tanto miraculo opus est:

non

non adeo se involvit Plato, ut non etiam se  
fatis explicet: offundit quidem tenebras, sed  
in quibus interluceant scintillæ, quæ non ne-  
glectæ claram lucem accendere possint.  
Quod ut hætenus in ceteris, ita in iis, quæ  
superfunt, re ipsa probabimus.


Harmonicos omnes in unam Lineam  
explicatos numeros; summus Opifex dis-  
secavit in duas. Non quidem æquales;  
nam ita omnem harmoniam, quanta quan-  
ta est, corrupisset. Quippe discissio hæc  
in medium incidisset Limma, quod est  
1944.\* 2048: & utriusque lineæ harmonia  
evanuisset. Divisit ergo in lineas longitudi-  
ne inæquales, quarum minor primo termino  
384, & decimoquinto 1536 concluditur,  
intra quos omnia quinque Musica Interval-  
la habentur, ut in Linea X observare est, &  
suprà monuimus. Major verò est a termino  
decimosexto 1728 ad ultimum 10368, de-  
cujus harmonia suo loco dicemus.

At harum linearum quis tandem usus?  
Eas Deus in sui medio aptavit vicissim in  
speciem Chiasmi, seu Decussis: id est alteram  
alteræ oblique superimposuit per medium:

M

tum

tum singulas capitibus commissis torfit in Orbes. Sint duæ inæquales lineæ ABC, DBE, quæ se medias decussent in B, ut D recedat ab A tot gradibus, seu partibus circuli,



quot distat Polus Eclipticæ a Polo Mundi. Linea ABC minor, sit ea pars Harmoniæ, quæ primo termino, & decimoquinto includitur: at altera pars, quæ est a termino decimosexto usque ad ultimum, repræsentetur per maiorem lineam DBE. Hic erit Chiasmus, in quem Harmonia Mundi, in duplicem longitudinem diffissa, conformatur.

Tum lineæ ABC capita A, C, ita intelligantur in sublime tolli, ut paulatim se torquendo, coëant in unum: & linea recta abeat in Orbem. Idipsum esto de linea DBE, sic ut capita D, E, & inter se, & cum capitibus A, C, alterius lineæ, in eodem puncto né-

ctan-

stantur in sublimi. Ex quo fit, ut Orbes hi in duobus oppositis punctis se interfecent, & quâ inter se maxime distant, sint diffiti partibus vigintitribus cum semisse. Ita eos Orbes habebimus, quos hîc Plato adumbrat. Orbis, in quem torquetur linea minor ABC, sit *Exterior*: at in quem major linea DBE, sit *Interior*. Concipiamusq; utrumq; in gyrû versari: ille erit latior τῆς ταυτῆς φύσεως, *natura ejusdem*: hic τῆς ἑτέρας, *alterius*. Quorsum hæc tendant, videamus.

Ita enim pergit Plato. *Eamque, quæ erat Ejusdem, detorsit a latere in dextram partem: hanc autem Alterius a media linea direxit ad levam*. Hæc est Ciceronis versio, qua & suprâ usi sumus. Nimirum frontem nos Plato sursum attollere jubet, si Orbes ambarum linearum, in quos Mundi Harmonia abiit, mentis saltem oculis, quando in visum non incurrunt, conspiciere velimus. Alter enim Mundo extrinsecus circumductus (ea propter *Exterior*) Æquinoctialem circumculum ambit, amplexuque tenet, seque ex se sua sponte agens, eum alium, quem dixi, circumculum, cumq; eo fixas Stellas omnes ab Or-

tu rapit in Occasum, super Polos Mundi.  
 Qui motus unus semper & idem, & ideo natura *Ejusdem*, in singulos dies absolvitur.  
 Alter e diverso Orbis, qui & *Interior*, in  
 Mundi spatia detrusus, priorem oblique se-  
 cās, Signifero subtenfus, se ab Occasu in Ortū  
 versat, suoque pulsu errantes circumducit  
 Stellas, non uno, sed dispari, adeoque septu-  
 plici cursu: quocirca natura *Alterius* nun-  
 cupatur. Hinc sunt illa Boëtii ad Deum, quæ  
 nunc demum capimus.

*Tu triplicis mediam naturæ cuncta  
 moventem*

*Connectens animam, per consona mem-  
 bra resolvīs:*

*Quæ, cum secta duos motum glomera-  
 vit in Orbes,*

*In semet reditura meat, mentemque  
 profundam*

*Circuit, & simili convertit imagine  
 Cælum.*

At audisne Platonem de rebus cœlestibus  
 balbutientem? quo tamen nihil de tanta  
 . . . . . ejus

ejus gloria decedit. Fuit enim non ipsius, sed temporum vitium. Quippe nihil dum subolverat de lento fixarum Stellarum progressu in Ortum super Polis Eclipticæ. Diu post Hipparchus puncta Solstitii, & Brumæ, ut & Æquinoctiorum, non iisdem perpetuò Stellis esse alligata deprehendit. Non ergo mirum, si Plato ab Interiore circulo errantes tantum Stellas in Ortum volvi statuatur, nulla de inerrantibus mentione facta, quas solas in Occasum agi ab Exteriori circulo perhibet. Mirum est, id ignoratum fuisse Ciceroni, qui post Hipparchum scripsit; nam ultima Verni Æquinoctii observatio ab Hipparcho facta incurrit in annum Urbis 626. Cur circumactis sexagintaquinque minimùm annis, Cicero in libro de Natura Deorum secundo ait? *Nam cum duo sint genera Siderum, quorum alterum spatiis immutabilibus ab Ortum ad Occasum commeans, nullum unquam cursus sui vestigium inflectat: alterum autem continuas conversiones duas iisdem spatiis cursibusque conficiat; ex utraque re & Mundi volubilitas, qua nisi in globosa forma esse non potest, & Stellarum rotundi*

am-

*ambitus cognoscuntur.* Hæc sane Cicero post  
Consulatum suum scribebat, quem iniit A. V.  
691.

Dixi, Circulum Interiorem Signifero  
subtensum, ab Exteriori, quâ lōgissime abit,  
distare partibus 23. 30. nimirum ad rem ip-  
sam magis, quàm ad Platonem attendens,  
qui sui temporis Astrologis si consensit, uno  
semisse plus velle debuit, seu, ut tum nu-  
merabant, partibus integris quatuor, qua-  
lium quadrans est quindecim; nam circulus  
sexaginta non amplius partibus constabat.  
Manilius in Sphæra, de Sole.

*Cum medium equali distinguit limite  
Cælum:*

*Quatuor & gradibus sua fila reducit  
ab astu.*

Haftenus Platonis mentem explicuimus:  
verba nihil attigimus. Quid enim *lava*, aut  
*dextra*? quid *latus*? quid *media linea*? Om-  
nes taciti transmittunt. Et quid explicassent  
in corruptissimis verbis, e quibus nihil fani  
elici potest? Trajectio omnino est, & vel  
meo

meo periculo legas. τὴν ταυτὴν, κατὰ διάμετρον ἐπὶ  
ἀριστερᾷ περιήγαγε. τὴν δὲ θάτεραν, κατὰ πλευράν ἐπὶ δεξιᾷ.

*Eam* (lationem) *quæ erat ejusdem per di-*  
*metientem circumegit ad lævam: hanc autem*

*Alterius per latus ad dextram.* Concipe a

centro Mundi lineas duci, alteram ad Ortum  
Solstitialem, ad Brumalem alteram. Hæc

erunt latera trianguli, cui abscissa a Coluro

Tropicorum portio, basis est. Tum per me-

dium interceptum spatiū ad Ortum Æqui-

noctialem tertiam lineam extendi, quæ Pla-

toni *dimetiens* est, ut infrà de triangulo Sco-

lio. ξύνδύο ἡ τέτων κατὰ διάμετρον ξυληθεμένων, & ce-

tera. Jam omnia ita perspicua sunt, ut vix

interpretem desiderent. Orbem enim na-

turæ ejusdem, Exterioresve ideo ad lævā

circumactum dicit, quòd Æquinoctialis ab

Ortu volvatur in Occasum, ut læva sit Occa-

sus ipse. Quod est ex Pythagoreorum sen-

su, qui dexteris Mundi partes faciunt, quæ ad

Ortum sunt: sinistras, quæ ad Occasum. Qua-

re & Orbem naturæ alterius, Interioresve


verti ad dextram, est Planetas, quæ intra Si-

gniferum discurrunt, cieri ad Ortum. Porro

hic motus fit *per latus* trianguli jam designa-

ti:

ti: ille *per dimetientem*, quem *mediam lineam* Cicero vocat.



ABCDE est Colurus Tropicorum. F centrum Mundi. FB latus a centro ad Ortum Solstitialem. FD latus ad Ortum Brumalem. FC dimetiens ad Ortum Æquinoctialem. BCD dextra Mundi. EA læva. AC circulus Exterior Æquinoctialem complexus, qui a dextra Mundi volvitur ad lævam per dimetientem FC. EB circulus Interior Signifero subtenfus, qui agitur a læva Mundi ad dextram, per latus FB.

Prævit Platoni viam Timæus, de more: qui

qui & ipse errātes Stellas ab Harmonia verari  
fari in Ortū, fixas verò in Occasū docet: nec  
alia sane de causa *διὸ διὰ μέν τ' ἀρχῆς κινήσεων, ὅτι μὲν*  
*geminam, quæ motus efficitur*, Harmoniæ Mū-  
di tribuit. Ex quo liquet, Timæum non  
per eadem ipse vestigia, ac reliquos Pytha-  
goreos, qui Terram ad motum sollicitarunt,  
ut sua maxime circum axem volutatione  
diei, noctisque vicissitudines efficeret; nam a  
Timæo ipse Sol unā cum Stellarum fixarum  
regione circa Terram in singulos dies cita-  
tur, Exteriore Orbe rotante. Nec abit Pla-  
to, qui hæc ipsa recitat: ut ut si veterum;  
Aristotelis præcipue, traditionem sequamur,  
sibi ipse adversetur, & contradicat, cū  
Terram ait *εἰλημένην περὶ τὸν διὰ παντὸς πόλον τεταμέ-  
νον*; quasi dixerit, eam torqueri circa exten-  
sum Universo axem. Nam axem *πόλον* vocat.  
Atqui *εἰλημένην*, vel, ut alia lectio habet, *ἰσημένην*,  
etiam *illigatam* denotat. Quod hic velle po-  
tius est, ut sibi Plato, in eodem maxime libro,  
cohæreat, & constet. Nempe quotquot cum  
Ecphanto Terram in mediō Mundo volvi  
ab Occasu in Ortum censent, Stellas a cursu  
in Occasum absolvunt. Recte itaque Cice-

ro vertit: *Quæ* (Terra) *trajecto axe substituitur*.

Pronum erat quærere, quæ ex circulis inæqualis orbitæ, minor esse posset Exterior, major Interior? quæ hic intra illum moveri? Eam omnem hæsitacionem tollit Plato, dum Internam Circulum sexies divisum, & ex segminibus septem minores, ac minores Orbes confectos ait, qui Signifero subterlabantur ita, ut unus per Eclipticæ ductum, devehat Solem, ceteri suis orbitis Eclipticam interfecent, hinc & illinc a medio deflecentes ad octonas partes, vel, ut antiqui putabant, ad semas.

Hæc enim Platonis verba: *Sed principatum dedit superiori, quam solam individuum reliquit. Internam autem, cum in sex partibus divisisset, septem Orbes dispares Duplo, & Triplo Intervallo moveri iussit, contrariis inter se cursibus. Eorum autem, trium fecit pares celeritates: sed quatuor inter se dispares, & dissimiles trium reliquorum.* Hic ab Harmonia Mundi transit Plato ad Harmoniam Siderum, & ab ea, quæ tantopere doctorum hominum mētes torquet, mira bre-

brevitate se expedit, & tribus poene verbis Duplo, & Triplo Intervallo fieri docet. Quæ tamen verba, omnia, quæcumque de Pythagoræ mente hæctenus ab aliis prodita sunt, aut tradita mala fide, aut investigata malo successu ostendunt. Cave enim credas, Harmoniam, quam errantium Stellarum orbitis Pythagoras inclusit, a Terra initium capere, & ad Stellæ usque fixas porrigi.

Non sum nescius ita, tanquam ex Pythagora, Plinium referre *Historia secunda cap. 22*: sed scio quoque ibi talia legi, quæ nunquam Pythagoræ exciderint. Ecce, hanc Plinius harmoniam ex tonis, & hemitoniis componit. Ist hæc ex Pythagora esse possunt? qui non hemitoniis, sed limmatis usus est. Tum ex istis tonis, & hemitoniis Diapason effici, septem omnino tonis contextum, ait. Quo quid absurdius? nam Diapason non ultra quinque tonos, & duo limmata excurrit.

Nec meliora his alii reponunt, non veteres modò, sed nec ipse Keplerus, qui hoc argumentum omni ex parte versavit, nec tamen ulla ex parte Pythagoræ mentem, quod



dolenter dictum velim, est assequutus;

Pythagoras ergo, etsi intervalla omnium Planetarum Musicam rationem habere sit opinatus; tamen quæ ea esset, non de omnibus ausus est diffinire, sed de tribus tantum: Luna citima terris, Sole in mediis spatiis vagante, & Saturno, qui summam tenet plagam. Hos voluit Duplo, & Triplo Intervallo moveri, ut a Luna ad Solem sit Duplum: a Sole ad Saturnum, Triplum. Accipe primum numerum Orbis Interioris 1728, terminum decimum sextum, quem Lunæ affigas: tum quære istius Duplum, & incidet in terminum secundum, & vigesimum, qui est 3456. Hunc si tribuas Soli, habebis a Luna ad Solem quinque tonos, & duo limmata, præter apotomen unam. Hæc Diapason, conficiunt, cujus ratio se habet, ut duo ad unum, & dividi potest in Diatessaron, & Diapente, ex quibus conflatur.

Deinde numeri 3456 quære Triplum, & occurret ultimus Linæ terminus 10368, qui Saturno donetur opus est, ut inter eum, & Solem resonet Diapason & diapente, quod est, ut tria ad unum, & octo tonos cum tribus limma-

matris complectitur, ultra apotomen alteram.  
Quæ si in tria dispartiri placeat, unum Diatesaron, & duo Diapente dabunt.

Ex his capimus, cur superiori Latiori principatum tributum a Platone sit, nempe non solum, quia illa fixas Stellas cum errantibus rapit in Occasum; sed præcipue, quod omnia Intervalla Musica suo ordine complectitur. Ac Inferior Latio continet duo tantum, Duplum, & Triplum, scilicet si ea sumamus, quæ hic attenduntur.


Quibus verò Intervallis errantes reliquæ Stellæ collocari debeant, incompertum sibi esse Pythagoras, & Plato silentio professi sunt; quamquam & ipsas Musica ratione disponi argumento esse possunt hæc Timæi verba:

αὐτὸ τῷ ἑτέρῳ φασὶ μεμερισμένον κατ' ἀρμονικὰς λόγους, ἐς ἑπτὰ κύκλῳ συνελθῆναι.


*Latio autem natura Alterius, divisa juxta harmonicarum rationes, in septem circulos disposita est.*

Et hæc est Mundi Harmonia, quæ ut rem sacrâ, ne cui violaretur, lōge ab hominum oculis abduxerant Timæus, & Plato. Nec tamen, quod eruimus primi, & evulgavimus, propterea nos quisquam sacrilegii reos arguet. Quæ  
enim

enim hæc invidia est, ita quæ scribas involvere, ut neminem doceas? quod perversum judicium, istud ipsum neminem docere in auctoritatem scientiæ ponere?



DE



# DE NUMERIS MEDICIS

## DISSERTATIO PYTHAGORICA:



Taliam per se ipsam nobilissimam fecit nobiliorem Pythagoræ Schola, qui diu multumque terrarum orbem pervagatus, tandem ad Oenotriam ap-  
 pulsus, Crotone conquievit, ubi Gymnasio explicato, scientias, in quibus ab Ægyptiis, Phœnicibus, & Indis eruditus, magna hominum celebritate professus est: inter cetera Medicinam edocuit, a Chaldæis, quos convenerat, acceptam, ut Apulejus in Floridis auctor est. At de tanti viri Medicina alio Opere a nobis dicetur fusius. Viros, qui ex eo Gymnasio prodierunt, cùm plurimi fuerint, & doctissimi, commemorare longum esset: unum, aut alterum ex Medicis proferre non  
 pi-

pigebit, quamquam Pythagoreos omnes plurimum Medicinæ incubuisse, scimus ex *Ælian.* no lib. IX. variæ historiæ: λέγει τὰς πυθαγορείας πάντες σφόδρα περὶ τὴν ἰατρικὴν σπουδάζειν τέχνην. Ipso statim initio prodiit Alcmaeo, Pythagoræ auditor, qui Medicam artem promoturus, ἐναλομένην apud Italos invenit primus, quod Chalcidius in Timæum Platonis memoriæ mandavit. Magnus sane vir, Ori, qui in Ægypto eandem instituerat, si non par, saltem æmulus. Prodiit etiam Democides Calliphontis; nam, sive Pythagoras. Italiam attigit Olympiade LXII, sive ante hæc tempora Scholā instituit Olympiade LX, certe eum audire Democides potuit, & ab eo Medicinam edoceri, ut qui Crotone digressus, Polycratis Samii primum Medicus fuit, tum Darii Hystaspis, qui regnum iniit Olympiade LXIV, anno quarto. Nec si Pythagorā demas, alius per ea tempora idoneus in Italia Medicinæ auctor erat, a quo quidquam boni Democides haurire potuerit. Nec in Italia modò Pythagoræ Scholæ floruit, sed & plurimum in Sicilia, quò eam subvexere Empedocles, & Epicharmus, ille Agrigentinus, hic Syracusius, ambo Medicinæ scien-

scientia præstantes, Pythagoræ auditores ambo : quos deinde plurimi e tota Sicilia sequuti sunt . Certe de Medicis Siculis Pythagoræ sectatoribus meminit Silimachus , qui de acuto tormento, quod vulgò a volvendo *ειλκός* nuncupatur , ait , *quosdam Pythagoricos apud Siciliam medicantes, Græco nomine Phragmon* ( *φραγμός* est sepimentum ) *vocare*, uti apud Coelium Aurelianum extat . *Apud Siciliam* eo modo dictum est , quo *Circa Lesbum* a Vellejo lib. 1. *Sedem cepere circa Lesbum insulam*. Is idem Coelius aliubi *Pythagoricum trochiscum* commendat.

At Pythagoræ doctrina , re & gloria felix, ubi diu regiones hæc nostras illustrasset, communi rerum omnium fato , tandem abolevit. Mirum est, eam desertam ob violata amicitiae jura . Aufonius Idyllio xv.

*Vive , & amicitias semper cole : crimen  
ob istud*

*Pythagoreorum periit Schola docta Sophorum.*

Tempus, quo factum istuc sit, cognoscimus ex Laërtio , qui Pythagoræ Scholam ad no-

O

nam,

nam, & decimā <sup>μετὰ</sup> durasse ait: idest ad annos tercentum. Itaque si ponas institutam Olympiade LX, id incurret in Olympiadem cxxxv. Anno Urbis dxi i i.

Hæc subvertere videtur Plutarchus, dum de Animi procreatione differens, Pythagoreorum Scholas sua etiamtum tempestate floruisse testatur. At nihil turbat. Scilicet eas, longo post casum intervallo, C. Cæsaris ætate, iterum excitavit P. Nigidius, de quo Cicero, ubi de Universitate, initio: *Denique sic judico, post nobiles illos Pythagoreos, quorum disciplina extincta est quodammodo, cum aliquot secula ( tria scilicet ) in Italia, Siciliaque viguisset, hunc extitisse, qui illam renovaret.* Si calculum ponas, comperies renovatam anno post obitum clxx, circiter. Hic est P. Nigidius Figulus, quem ob ingenium, & doctrinā summe cultum a Cicerone, & cujus commentationes præ obscuritate, subtilitateque parum a vulgo tritas Gellius memorat.

Ceterū Pythagorei inter Medicos primas tenuerūt: maxime post illustria Democidis gesta, quorum gloria in re medica Crotoniatæ primi sūt numerati, post hos Cyrenæi, quos Aristæus Cyrni F. condidit. Ita Herodotus. Hæc

Hæc certissima cùm sint, videat Galenus quid egerit, cùm Cyrenensibus insuper habitis, ut de quibus nihil meminit, Italos Medicos post Coos, & Cnidios in tertium rejecit locum. Itali Medici non sunt, nisi Pythagorei, ut secta Philosophiæ Italica, alia a Pythagorea non est. Ipse itaque in primo Methodi ait, Medicos Coos, Cnidiosque certasse inter se *inventorum numero*, ἡ πλῆθει τῶν ἐυρημάτων, & cum his tertios honestum certamen Italos Medicos inisse. Hos fuisse Phlistionem, Empedoclem, Pausaniam, horumque socios. Et χόρας tres has Scholas vocat. Tum addit. πλείους μὲν ἢ αἱρίδας χορευτάς οἱ καὶ εὐτυχήσας εἶχεν. ἐργὸς δ' ἐστὶ τάτω καὶ ὁ ἀπὸ τῆς κούδας. λόγος δ' ἦν ἀξιότιμος ὁ σμικρὸν καὶ ὁ ἀπὸ τῆς ἰταλίας. *Plurimos quidem, optimosque ludiones Coos fors obtulit, ab hoc Cnido: nec tamen in parvo habendi pretio erant Itali.* In hanc tamen sententiam prolapsus videtur Galenus, quia & ipse Cois ludionibus voluit accenseri: quare quæsitæ ea propriæ Sectæ laus leviolem ipsum auctorem facit.

Sane Hippocrates ipse, qui tantam laudem Cois conciliavit, quique Olympiade LXXXVI floruit, vigente Pythagoreorum Secta, non mo-

dò eam optimè tenuit, sed etiam complura ab Italicis Medicis accepta, ad gratiam, & gloriam colligendam, suis libris inseruit. Nec mirum; nam ea Schola cùm vigeret, tanto in honore fuit, ut, quod Cicero ait, nemo demum sapiens censeretur, nisi qui ea esset imbutus. Illud dolet, quod Hippocrates in delectu minus, quàm oportebat, diligens fuit; nam præclaris multis, quæ Italica Secta habebat, neglectis, leviora quædam arripuit, ut ea sunt, quæ de Numeris traduntur, quos & in rebus humanis, & in medicina plurimùm valere censebāt.

Qui infans septimo, vel nono mense nascitur, is vitalis est Hippocrati: contrà, qui octavo. Hæc ante ipsum prodidit Pythagoras, qui duos tantummodò partus maturos agnovit: alterum Minorem, qui x, & cc die post conceptionem ederetur: alterum Majorem, cui die saltem cclxx oriri contingat. Numerus dierum cclxxiv pro partu Majore non est a Pythagora, ut perperam Censorinus tradit, sed a Varrone, qui Hebdomadas computabat. Vide Gellium. Pythagoras enim ut decimum mensem admisit, ita nonum solidum non exclusit, quod ex Laërtio constat.

Nul-


Nullas nugas viri docti omisere, ut harum rerum causas aperirent. Qui tanti putat, apud eos quærat. Nobis rationem Pythagoræ explicuisse satis erit. Ea tota ex numeris pendet, ut rectè Paulus IV. Sentent. tit. IX monet. *Septimo mense natū matri prodesse; rationem enim Pythagorei numeri hoc admittere, &c.* At qui tandem hi numeri? Nullus dum eos indicare potuit: extant tamen apud Homeri Interpreterem Rhapsodia XIX, illis verbis: *οἱ δὲ πυθαγόρειοι ἔχουσιν ἀριθμητικὰς ἡτοὶ ἀριθμητικῶς τὴν αἰτίαν ἀποδιδόασιν.* Et quæ sequuntur. Quæ verba Annibal Fabrotus in eleganti Exercitatione de Tempore partus humani, ut morosiora attingere ausus non est. At verò Pythagoræ ratione ignorata, frustra in harum rerum investigatione laboratur. Dabimus propterea operam, ut tenebras, quæ inesse videntur, discutiamus.

Esse triangulum Scalenum ABC, cujus latus AB habeat quatuor unitates: BC quinque. De tertio latere AC Homeri Interpreter nihil meminit: at dubitandum non est, quin ex unitatibus tribus constitui debeat. Ita fiet, ut omnia trianguli latera novem non amplius unitatibus

tibus constent, quot scilicet solidos plerumque menses foetæ uterum gestant. Palàm verò est ex Pythagoræ scitis, ternarium, & quinarium mares esse numeros, ut qui impares: quaternarium verò, qui par est, feminis accenseri. Perspicias jam animo quas vires habitura sit ratiocinatio, quæ his fundamentis nitatur, quæve proles ex horum numerorum complexu possit oriri. Ea ejusmodi est.

Multiplicentur  $iv$  per  $v$ , quorum ille femina, hic mas, & numerus inde productus in unam colligatur summam cum quadrato ex  $v$ . Et erunt  $xlv$ . Hi rursus ducantur in semissem  $\epsilon\mu\beta\alpha\delta\delta\epsilon$  trianguli, hoc est  $vi$ , & fient  $cclxx$ , quot dies novem computant menses, si quis Ægyptiorum more, quos tum fere sequebantur, tricenos dies singulis mensibus tribuat, ut & Hippocrates computat libro  $\pi\epsilon\rho\iota\ \tau\epsilon\sigma\phi\eta\varsigma$ . Inde est, qui nono mense nascitur, eum vitalem fore, tamquam maris numeri fatu, femineique conceptu generatus, & editus.  $\tau\omicron\ \epsilon\mu\beta\alpha\delta\delta\omicron\nu$  trianguli nō est area, ut putant, quia hīc areæ semis non est  $vi$ ; nam triangulum  $ABC$  rectangulum est, cū hypothensæ quadratum exæquet quadrata laterum.

Est



Est ergo  $\epsilon\mu\beta\alpha\delta\delta\omicron\nu$  rectangulum factum ex lateribus, quæ rectum angulum comprehendunt. Hujus semis est vi.

Eadem via partum, qui septimo mense editur, vitalem esse Pythagoras ostendebat; nam. & numerus, qui horum mēsium dies completitur, ex mare, & femina gignitur. V enim, ducantur in iv, & qui oritur numerus in unum computetur cum altero numero facto ex 111 in v. Ita provenient xxxv. Quæ rursus multiplicent dimidium  $\tau\epsilon\varsigma$   $\epsilon\mu\beta\alpha\delta\delta\omicron\nu$ , & habebimus ccx, quot dies imputantur mensibus septem.

Non temere Italicæ Medicinæ, quæ numeris consociatur, ut sibi mutuam opem ferant, tam luculentum specimen alibi occurreret. Et hi ipsi numeri sunt, qui in sententiam de partu octimestri non vitali tot gentes per tantam-

temporum intervalla pertraxerunt. Nam vmas numerus, multiplicet marem alium numerum 111. Et quod inde provenit, uniatur cum quadrato ex v, & fient xl. Hæc si multiplicent semissem *ἡ ἑμβάδῃ*, colligentur ccxl, quot dies octo mensibus insunt. Sic nullus est maris, & feminæ initus, & partus octimestris vitæ spem nullam habet.

Neque his solùm Pythagoreorum numeris delectatus Hippocrates est: arrisere ei & alii, ut qui dies *κρίσιμος* decretoriosve demonstrant. Hos attendit in ferendo de febrientibus, & de sudoribus iudicio, & in cibo opportune exhibendo. Aut valde fallor, aut & hoc in ipsum a Pythagora fluxit. Testem habeo Celsum, qui ubi hos ipsos tanquam vanos cum Asclepiade respuisset, inquit: *Verùm in his quidem antiquos tunc celebres admodum Pythagorici numeri fefellerunt*. Ecce, ut antiqui, ipseque adeo Hippocrates, hac in re Pythagoræ ductum sequuti sunt. Hi dies esse perhibentur, tertius, quintus, septimus, nonus, undecimus, impares omnes, quibus quantum a Pythagora tributum sit, neminem latet. Ex his ipsis septimo, qui medius est, arrepto, pro die-

|      |     |                                                         |
|------|-----|---------------------------------------------------------|
| III. | XI. | diebus etiam decretoriis statuere duplum ejus, triplum- |
| V.   | IX. | que, idest diem quartumdecimum, unum & vigesimum,       |
| VII. |     | uti adjunctum Diagramma                                 |
| XIV. |     | ostendit.                                               |
| XXI. |     |                                                         |

Et hæc est Litera Pythagorica, quam humanæ vitæ speciem præ se ferre dictitabant, quòd ex numeris, quibus ea conformatur, certum, ut ipsis visum, in febre instantis salutis, aut mortis argumentum desumeretur: quippe tunc febris vel remittitur, spem salutis faciens: vel intenditur, perniciem allatura.

*Litera Pythagoræ discrimine secta bicorni  
Humana vitæ speciem præferre videtur.*

Causam Poëta horum versiculorum auctor minime est assequutus, cū ad virtutis, vitiique discrimen spectare id sibi persuasit. Nec sane ratio quadrat; non enim dextrum modò cornu ejus in summo patescit, sed & sinistrum. Germanus intellectus est, quem tradidimus. Ex quo & illud intelligi potest, cur impares numeros, qui inter XI, & XXI se inculcant, Pythagoras dimiserit, pari illo, qui est XIV, in-

P

or-

ordinem recepto: qui tamen, utut natura par, hic tamen vi & potestate impar censendus est; nam in eo Hebdomas finit. Quod Celsus minime cepisse videtur, cum objicit: *Ab impari ad paris rationem transit*.

Sed Hippocrates in his mirum in modum fluctuat, nec sibi constat, ut conferenti Aphorismos inter se, & eos cum libro *περί κρίσεων*, perspicue patebit. Suspectā veritatē ipsa inconstātia facit. Placet tamen ob ante oculos ponere, quæ habet lib. 11. aphor. xxiv. Retinet tres Pythagoræ Hebdomadas, sed die xvi concludit: præterea quamque ipsarum, ascendendo per tria, dividit in *ἀρχήν*, *ἐπίδηλον*, *κρίτην*, idest, *initium*, *indicem*, *judicem*, in hunc modum.

Primæ Hebdomadis

Initium I.

Index IV.

Judex VII.

Heb-

Hebdomadis secundæ  
Initium VIII.

Index XI. Hebdomadis tertiæ  
Initium.

Judex XIV. Index.

XVII. Judex.

Nescio, an satis recte magnus Interpres, quo die xiv secunda Hebdomas finitur, eodem incipere tertiam Hebdomadam putet, ut tres Hebdomades terminentur vigesimo die. Reclamat, ni fallor, Hippocrates, cujus hæc verba sunt : θεωρητὴ δὲ πάλιν ἡ ἑπτακαιδεκάτη. αὕτη γὰρ ἐστὶ τετάρτη μὲν ἀπὸ τῆς τεσσαρεσκαιδεκάτης . ἑβδόμη δὲ ἀπὸ τῆς ἑνδεκάτης. *Rursus verò dies decimus septimus est attendendus ; is enim a quartodecimo quartus est : at ab undecimo septimus.* Nec ullam toto eo Aphorismo Cous Senex vigesimi diei mentionem injicit : quem non ita neglexisset, utique si ad eum usque tertia Hebdomas excurreret.

Nec ex alio fonte, quàm Pythagoreo, ma-

navit libri IV. aphorismus LXI, qui, nisi febrientem diebus imparibus febris dimiserit, eam ferme reversuram adstruit. Quod Galenus concoquere non potuit, cum & in paribus idipsum accidat. Hæc enim vereor ut ab ulla rerum experientia profecta sint, & ne potius a semel concepta illa opinione de imparis numeri potestate & vi.

Demum Pythagoram tanti fecit Hippocrates, ut non ejus modò sententias & scita scitatus sit, sed etiam sermonis, & verborum æmulus videri voluerit. Sane Hippocratis dictio tota Pythagoram olet, concisa, succosa, legibus similis. Maximus Tyrius Orat. xv. ἦσαν δὲ πρὸς καὶ οἱ πυθαγόρειοι λόγοι εὐκρίτους τοῖς νόμοις, βαρύνοντες καὶ ἐπιτομοί, τὰ δὲ ἔργα μακρὰ καὶ διηκεῖν. Usus maxime Pythagoras hac dictione est ἐν ὑποθήκαις, eamque imitatum esse etiam Epictetum Simplicius in Commentariis monet.



DE COLO  
MAYERANO

EPISTOLA

*Ad Illustriss. & Præstantiss. Virum*

D. D. DIDACUM

VINCENTIUM


A V I D A N I A ,

Regii Sacelli Præfulem , & Gymnasii  
Neapolitani Præfectum.




## *Theophilus Instit. de Testam.*

Καὶ ἡ τούτων ἀγνοία εἶναι φέρει κίνδυνον ,  
αἰτ' ὅτι πρὸς ἰσορίαν , ἢ τὸ μαθεῖν πῶς κατὰ  
μικρὸν προϊέναι ἡμεῖς τῶ χρόνῳ , εἰπεῖν  
ἐκ ἄτοπον.







Uper cùm apud te essem, ut sæpe soleo, V.Cl., visendum antiquitatis monumentum ostendisti, non multis abhinc annis proxime Romam repertum. Ejus, inquam, ectypon: quod Marcus Mayer, vir in primis diligens, & bonarum artium studiosus, formis non ita pridem excudit, evulgavitque, & eruditis viris explicandum proposuit. Id verò est instrumentum ex ære, rotundum, quod ita cortinæ ritu cavum est, ut simul mamillæ speciem emuletur: multiplicibus foraminulis certo, & eleganti discursu totum pertusum, ut si liquorem infundas, nequeat continere, sed ad guttam transmittat. Quocirca statim oculis, & menti Coli cujusdam imaginem objicit. Est manubrio instructum, lato, planoque, quatuor omnino spatiis distincto, in quibus singulis variæ cernuntur figuræ arte toreutica extantes, argento exornatæ. Hortatus es, ut si quid ad egregium istuc monumentum illustrandum ha-

haberem, literis consignarem. Quamvis satis intelligam, hæc a nullo aut melius, aut promptius, quàm a te, posse explicari, qui omnem antiquitatem tenes; tamen, ne tibi minus audiens videar, cui, ob eum, quo me prosequeris, affectum, plurimùm debeo, non defugiam laborem, & pro viribus desiderio tuo satisfacere conabor non invitus; eò præsertim, quod iis, quæ dicturus sum, ipse viam consiliis tuis struxisti. Visum tibi est, quatuor spatiorum figuras non ad diversa tendere, sed simul omnes inter se esse connexas, simulque ad Medicinam referri, quando Cola inter Medicorum maxime, & Seplasiarum instrumenta computabantur. Quod tuum iudicium & acutum est, & nisi fallor, verum. Ejus ductum sequutus, sine metu erroris, viam ingrediar.

In summo manubrii spatio, cùm variæ extent variarum rerum figuræ, arboris loti, studiosorum sellæ, aræ cum primitiis ficuum, & baculo: ea tamen, quæ omnium princeps est, & ad quam ceteræ referuntur, Herma est. Quid ni? Stat pube tenus ducta, vultu juvenili, sine brachiis. Hermæ ita ἄκρωτοι, & trunci conspiciebantur plurimi Athenis, ut ex Thucydide

de lib. vi, Plutarcho in Alcibiade, & Cimone, aliisque notum est. Erant etiam Romæ in Circo: quod, si recte memini, unus monet vetus Juvenalis Interpres Satyra viii. *Herma*, inquit, *effigies anea, aut marmorea, sine manibus, quales videmus in Circo*. Tales pariter statuebantur ubique in Gymnasiis. Xenocrates.

ἕρμῃς ὡκύς ἐγὼ κικλήσκημαι. ἀλλὰ παλαιστρῇ  
μὴ κολοβὸν χειρῶν ἴσατε, μὴδ' ἀποδα.

*Hermes ipse feror pernix. Cur ergo palastra*

*Et manibus truncum ponitis, & pedibus?*

Effingebantur Hermæ pectore ferme quadrato, & tandem in pyramidem inversam desinebant: imò quandoque incipuum ad speciem cubi. Nimirum Aristophanis Interpreti Herma est λίθου τετραγώνου, ἢ κυβοειδούς. *Lapis quadratus, & cubiformis*. Ubi *Lapis quadratus* est quadrata pyramis, πυραμὶς τετραγώνου, ut loquitur Strabo lib. xvi. *Lapis verò cubiformis* est prisma oblongum, planis æqualiter distantibus. At non semper ita factum esse testes sunt veteres Num-

Q

mi,

mi, in quibus sæpe Herma thoracem rotundo proximum habet : & , ut partes apte inter se consensiant, super cono inverso quiescit. Hunc responsum symmetria exigit : & Hero male, apud Architectos audit, dum in Automatis semel iterumque *πίνακι κυνίσκων*, idest rotunda quadratis subijcit. Noster Herma, cum teres & ipse sit, insidet tamen non cono, sed cylindro, aut columellæ. Quod notabunt studiosi; non enim alibi obvium.

Hæc ita efformata est, ut vetustissimam columnarum speciem ante oculos ponat; est enim sine capitulo, & sine toro: quanquam ei basim inæquales plinthides duæ faciant, minor majori superimposita. Rudi enim, & adhuc, ut ita dicam, vagiente Architectura, nullum majus studium columnis impendebatur, quam ut in puros cylindros evaderent. Et primum in Ephesiæ Dianæ æde columnis capitella addita, subditæque spiras Plinius auctor est.

Possset hanc de Herma interpretationem labefactare lorica squamis conferta, qua nostra hæc effigies induta est: possset hasta, quam ad dexteram partem habet, oblique positam, tanquam si manu teneretur. Quid hæc cum Herma?

ma? Non est ignotum tibi, Vir doctissime, veteres sæpe ex pluribus Diis, varias ob causas, unum signum confecisse. De omnibus non est hic dicendi locus: quædam de Herma produxisse sit satis. Jungebant ei aliquando, & veluti inferebant Venerem ita, ut duo in unum abirent: & hanc *Hermaphroditem* nuncupare possumus. Interdum Herculem: quod signum *Hermeraclem* Tullius vocat. Nonnunquam immiscebant Minervam, & dicta fuit *Hermathena*, ut hæc nostra est; nam corporis truncus dimidiatus, sine lacertis, Hermam effingit: lorica, & hasta, Minervam: vultus juven-ta decorus, satis utrique aptus.

Visum veteribus est, hæc duo numina mistis corporibus jungere, non sine gravi de causa. Nempe, ut monitos nos facerent, sapientiam, cui Minerva præsidet, & eloquentiã, cujus auctor Mercurius habetur, alterã ab altera vim & ornamentum capere, nec nisi invitas segregari. Eloquentissimum fuisse Democritum constat. Platonis in dicendo elegantia, cui non nota? Aristoteles aureum orationis flumen fundere dictus est. Et nominatim de Academicorum philosophia testatur Cicero, cujus hæc

verba . Nam cum hoc genere philosophiæ,  
 quod nos sequimur , magnam habet Orator  
 societatem : subtilitatem enim ab Academia  
 mutuatur , & ei vicissim reddit ubertatem  
 orationis , & ornamenta dicendi . Locus est  
 in libro de Fato , statim initio . Quocirca ipse  
 Cicero inter cetera Academiae suæ ornamen-  
 ta , quam non ita procul a Bajiis erexit , Herma-  
 thenam dedicavit . Nam ita ad Atticum . *Quod*  
*ad me de Hermathena scribis , per mihi gra-*  
*tum est , ornamentum Academiae proprium*  
*meæ ; quod & Hermes commune omnibus , &*  
*Minerva singulare insigne ejus Gymnasii .*  
 Et ut Cicero in Gymnasio , ita alii in Biblio-  
 thecis Hermathenam dicabant ; nam ea est  
*Media Minerva* , cujus meminit Juvenalis  
 Satyra III .

*Hic libros dabit , & forulos , mediamque*  
*Minervam .*

Nec tamen inficias eo , non Hermathenam  
 semper , sed interdum Athenam in Bibliothe-  
 cis , & Gymnasiis positam . Plinius lib. VI I . cap.  
 LIIX . *Indicio erit Delphica tabula antiqui-*  
*eris , quæ est hodie in Palatio , dono Principum*  
 Mi-

*Minerva dicata in Bibliotheca . Salvianus lib.viii. Colitur & honoratur Minerva in Gymnasii.*

Similem huic nostræ imaginem exhibet ex veteri Nummo Jacobus Spondius in Miscellaneis eruditæ antiquitatis . Ea est *πελομένη* adolescentis, brachiis trunca, turbini inverso innixa , cum hasta ad dextram . Hanc ipse Hermam esse docet . Minus recte; nam cum ea nihil commune hasta potest habere, nisi Hermathena sit . Duobus discernuntur : quòd nostra lorica habet: hæc cùm ea careat, caput floribus coronatum gerit . Sed discrimina hæc alicujus momenti non sunt; nam hasta ipsa per se ad Minervam indicandam satis est : & corona pro colentium arbitrio signa aut ornat , aut ab iisdem abest .

Quædam de Hermis omnifariam ex Nummis, Gemmisque discimus, quæ in libris frustra quæras: ut illud est, non semper hæc signa brachiis defecisse; nam Hermathena interdum ea habet, ut in Nummo Hadriani, quem Ful. Ursinus produxit. Visitur in eo Virgo mammis sororiantibus, desinens in metam inversam: galeam capite gestat , brachio sinistro clypeum, substi-

substinet, dextra manu hastam. Ita Hermerac-  
 clas sine brachiis est in Gemma Leonardi Au-  
 gustini: apud Spondium iisdem non destitui-  
 tur. Herma ipse, qui passim ab auctoribus  
 brachiis abscissis describitur: quare Strabo lib.  
 xv. inter Indorum dona ad Cæsarem, homi-  
 nem lacertis a natura truncum, *Hermam* ap-  
 pellat: ἑρμᾶν ἀπὸ τῶν ὤμων ἀφηρημένον ἐκ νηπίος τὸς βρα-  
 χίονας. Quæ ita explicat Dio Cassius lib. LIV.  
 μειράκιον ἄνευ ὤμων, οἷος τὸς ἑρμᾶς ὁρῶμεν. Ipse, inquam,  
 apud eundem Augustinum Tom. II. Gemma  
 XIII. sinistra caduceum gestat: dextram sub  
 pallio latentem pectori applicat.

Sed de his plus satis: jam ceteras, quæ circa  
 Hermathenam, figuras persequemur. Ante  
 eam stat Ara. Earum aliæ ex cylindro constant,  
 quæ frequenter in Nummis occurrunt. Quæ-  
 dam ex prisma quadrangulo, quæque ex tri-  
 bus dimensionibus inæquali, ut erant aræ vetu-  
 stiores, & maxime Jonicæ, de quibus Nicoma-  
 chus lib. I I. ἀριθμητικῆς. Nonnullæ cubicæ sunt,  
 ceu hæc nostra: habetque suam βάσιν, & κορυφήν.  
 Hæc dicta volui, ne quin ara sit, dubitemus.  
 Omitto aras rusticas, idest lapidem quemcun-  
 que ex destinatione sacrificantis electum. Su-  
 per

per ea sunt tres, ut videntur, ficus : juxtà jacet baculus . Hæc quid sibi velint , anxie quærendum ne sit , facit Suidas , qui maxima ex parte interpretatur in voce ἑρμαῖον . Docet, fructuum primitias Hermis offerri solitas, quæ præde viatoribus cedebant . ἑρμαῖον . τὸ ἀπροσδόκητον κέρδιον, ἀπὸ

τῶν ἐν ταῖς ὁδοῖς τιθεμένων ἀπαρχῶν, αἷς οἱ ὁδοιπόροι κατεδίευν.

*Hermæum est insperatum lucrum, ab illis primitiis, quæ Hermis apponuntur in viis, quas viatores edunt.* Et viatores indicat positus juxta aram baculus, quem longam viam ingressuri, ut procedendi laborem minuant, secum habere solent.

Nec est, cur miretur quis, Hermathenam in viis collocatam, eique primitias oblatas; nam quæ simplici Hermæ, eadem & Hermæ cum altero Deo confuso tributa fuere: quippe Hermeraclam quoque in viis positum, primitiisque cultum ex veteri Epigrammate discimus. Carmina, quæ huc faciunt, ita habent.

ἄμμες ὄρων φύλακες δισσοὶ θεοί, ὧν ὁ μὲν ἑρμᾶς,  
οἷον ὄρῃς μ', ἕλος δ' ἄτερος Ἡρακλῆος.

ἄμφω μὲν θνατοῖς εὐάκοι, ἀλλὰ ποθ' αὐτὰς  
αἰτ' ὡμὰς παραθῆς ἀχράδας, ἐπὶ κέαφεν.

Idest: *Duo nos Dii finium custodes sumus,*  
*quo-*

*quorum alter Hermes, qualem me vides, alter Hercules: ambo mortalibus faciles præbemus aures. Sed si acerba nobis apposueris sylvestria pyra, devoravit.* Ita emendat Salmasius ad Inscriptionem Herodis Attici: at de Hermeracla nihil cogitans, de Diis συμβάμοις accepit, quales in viis, & finibus statutos non legimus. Illa certe admonitio, se duos esse Deos, satis unum signum extitisse demonstrat.

At cur primitiæ ex ficibus? Ex his, quæ in manubrio sculpta sunt, quædam ad ambos hos Deos pertinent, ut arbor loti, sella: alia privatim ad Minervam, ut cerva, fues, de quibus deinceps dicemus: nonnulla solum Mercuriū respiciunt, ut primitiæ. Hæ non sine causa ex ficibus; nam Mercurius palæstræ auctor fuit, quæ feros hominum cultus formavit, ut apud omnes contestatum est. Palæstritæ verò olim ficibus vescebantur, sed siccis, quæ panisque simul & obsonii vices implerent; carices enim, ut concoctu difficiles, ita corpus viresque adjuvant: diuque saturos athletas tenebant, ne quando inter concertandum esurirent, ut Plinius, & Rufus apud Oribasium auctores sunt. Emendandus Suidas in voce *ἰχθὺς: πρὶν ἢ δοθῆναι τὴν*

*κρεῶν.*

προφάσιαι τοῖς ἀθληταῖς, ἔχραντο τῇ ἰσχυρί. Ita legendum, non τοῖς ἀθληταῖς. *Athleta*, inquit, *antequam eis carnes concederentur, caricis utebantur*. Nam Pythagoras Phliasius Gymnasta, seu, ut quidam rentur, Alipta, primus Euramini Samio carnes apposuit. Et apud Rufum *ευδαγώρας* legendum, non γώρας. Quod Mercurialem decepit. Quin credimus, his de causis Mercurio ficus oblatas? Nec contra facit, quod virides cernantur; nam cum primitiæ sint, utique sicce esse non possunt.

Hæc est nostra conjectura, cujus adhuc me non poenitet. Si cui tamen arrideat, allusum, ad ficus ab Ægyptiis in die festo Mercurii esitatas, non repugno. Hi enim quotannis, XIX die mensis Thoth, sacra ei Deo celebrantes, mel & ficum edebant, ea voce addita, *γλυκὴ ἀλήθεια*, *dulcis veritas est*. Narrat Plutarchus in libello de Iside, & Osiride.

Aliud sibi vult arbor, quæ pone Hermathenam surgit. Nempe eos, qui semel sapientiæ, & eloquentiæ studia degustarunt, ea dulcedine illectos, illis perinde adhærere, ceterarum rerum oblitos, atque Ulyssis socios loto. Nam, si recte attendamus, non alia a loto ea arbor est.

R

Ita

Ita fateri cogunt spectanda arboris proceritas,  
 & poma parva, rotunda, e longioribus pedicu-  
 lis dependentia; nam loti fructus est ἡλίκευ κύα-  
 ρος, *quantus faba*, ut Theophrastus loquitur:  
 & capiendus est de faba Græcorum, pusilla, in  
 orbem ducta: quod explicat Dioscorides, in-  
 quiens: καρπὸν δὲ φέρει (ὁ λαῖος) μείζονα πεπέργως: *Fru-*  
*ctum fert lotus pipere majorem*. At hæc po-  
 ma in nostra arbore rara sūt, nec gemina; ut fa-  
 tendum omnino sit, eam non effingere lotum  
 Libycam, in qua fructus densus est, & myrta-  
 rum ritu, pari serie a ramis dependet. Theo-  
 phrastus. Φύεται δὲ καθάπερ πρὸ μύρτα, παράλληλα. πυκ-  
 νὸς ἐπὶ τοῖς βλαστῶν. Hæc longe absunt a nostra:  
 quæ ea propter erit lotus Italica, cujus fructus  
 habent cerasorum instar. Plinius: *Nascitur*  
*(fructus) densus in ramis, myrtorum modo,*  
*non ut in Italia cerasi*. Ita frequenter pro cæ-  
 li, solique ingenio plantæ non semper eædem  
 sunt, sed variant. Cogunt etiam fateri folia, in  
 quibus ut ut varie sculptor luserit, quædam ta-  
 men ad imitationem naturæ repræsentavit,  
 idest ilici similia fecit. Libuit hæc quàm bre-  
 vissime percurrere, non sine operæ pretio; jam  
 enim sensus dicti Pliniani de Italica loto incla-  
 re.

rescit : Hoc Plinius monet , fructus in ea non pendere ab alis geminos , paresque , ut in myrto, & loto Libyca : sed nullum servare ordinem , ut in ceraso . Ita nostræ sculpturæ lotus evincit, quæ evincit & illud, a vero nō aberrare, quicumque Italicam lotum eam esse plantam censent, quæ vulgi sermone a baccis, baccarumque forma, *Perlaro*, & *Bagolaro* appellatur ; nam si hujus nostræ *ἰκία* cum illa conferas, statim eandem plantam esse deprehendes . Si non aliunde, certe ex hoc uno præclarum istud vetustatis monumentum salvum ad nos pervenisse jure merito gratulamur .

Demum ante Hermathenam cernere quoque est instrumentum exprimens minusculam aspirationis literam. Putem, sellam esse, cui insidentes studiosi, in Gymnasiis, & Bibliothecis coram Hermathena literis, & lectioni vacabant. Affirmat hanc sententiam vel maxime Spondii Nummus, quem diximus, ubi Hermathenæ coronatæ affidet vir , habitu philosophico, intentis oculis percurrens tabulas, quas utraque manu sustinet .

Recte hæctenus , inquires . Sed pertinetne Hermathena ad Medicinam , cujus usus Cola-

inserviebant? Pertinet sane : & ita , ut nihil magis . Quippe Mercurius medicinam fecit , eamque multis inventis promovit , ut *Ægyptii* , Græcique pariter testantur . *Ægyptii* complures a Mercurio editos de Medicina libros habebant , quorum alii Pharmaceam tradebāt , alii Chirurgiam : in quibusdam de Anatome , & de Morbis agebatur . Hos *Sacerdotales* dictos soli Pastophori ediscebant , ut fusc Clemens Alexandrinus persequitur . Græci eum Saluti contubernalem fecerunt . *ἡν ὕψαν αὐτῶν ἐνὶ οὐρανῷ* , ut Phornuti verba sunt . Nescius non sum , hæc ab ipso non ad medicinam , sed ad sermonem trahi , nobis impertitum , ut omnibus prosumus . Sed hæc ratio & coacta est , & friget . Certe nihil hac tanta subtilitate opus erat , quando id simplicius , & verius de Mercurii medicina accipi & potest , & debet . An de ea nihil Phornuto inauditum ? Meminisset saltem ab eo inventum moly , quæ ruta silvestris est , linozostin , crocum , aloën . Præterea Meleager Syriacam nardum a Mercurio mortalibus commonstratam prodit in Corona Pancarpia :

καὶ μὲν ἡ συρίην παχυότριχα θήκατο νάρδον,  
ὑμνοθέταν ἱρμῷ δῶρον αἰδόμενον.

*Et Syriam nardum spicis intexet comatē:  
Pēniger hanc nobis donat habere Deus.*

Orpheus etiā, seu quisquis ille est, qui de Lapidibus scripsit, vetustus sane auctor: is lapidum medicinam Mercurio tribuit: & nominatim Corallii vires ejus beneficio innotuisse canit;

κεφάλιον θνητοῖσι φέρων πόρεν ἀργειφόντης.

Hujus scientia medicinæ enituisse pariter Minervam memorat, quæ in eā Herculem erudiverit. Romæ in v Regione templum Minervæ Medicæ dedicatum ex P. Victore cognoscimus: ita a medendo dictæ, non a Medis. Quod Panciroli somnium est, aliud nihil. Ad eam sine dubio allusit Ovidius, cū Medicos hortatur, ut de suis muneribus etiam Minervæ offerant, Fast. 111.

*Vos quoq; Phæbea morbos qui pellitis arte,  
Munera de vestris pauca referte Deæ.*

Ita apud Atticos colebatur αἰθνα ὕμνη, & αἰθνα παιωνία, de quibus Pausanias. Et hæc pauca velu-

luti extremo digito attigisse sit satis ; fusius enim de his in libris de Origine , & progressu Medicinæ a nobis disputatum est, quos, si Deus dabit, propediem edemus .

Proxime in manubrio Coli sequuntur duo alia spatia, in quorum primo celata est cerva, a partu humi procumbens, & hinnulus, qui a tergo descendens, se dirigit ad mammas: in altero stant duo sues, qui diversi abeunt . Suspicor, hæc omnia ad Minervæ medicinam referri. Ei acceptam ferimus herbam argemonem, ita silvestri papaveri similem, ut qui alteram viderit, ambas se nosse credere possit. Ea fertur usa, ut suis opitularetur. Plinius lib. xxiv. cap. xix. Quocirca inter evellendum Herbarii quidam dici mandabant: *Hæc est herba, argemone, quam Minerva reperit, suis remedium, qui de illa gustaverint.* At a quo tandem morbo sues hac herba convalescunt? Non id explicat Plinius. Sed omnino de angina capi debet: quo maxime morbo sues tentantur, & cujus Plinius paulo ante meminerat.

Non omiserim, supra sues nescio quæ conspici, figura ovata. De glandibus suspicionem  
mo-

movere possent, nisi ineptum esset, eas ita in aëre pendentes facere. Quid igitur? Potius est, ut sint capitula argemones, quæ, ut rhœadis, oblonga sunt. Possent etiam videri argemones calyces, qui antequam aperiantur, & ipsi ad ovi speciem vergunt. Interim cauliculis, a quibus dependebant, vel ob vetustatem attritis, vel ob exilitatem non satis conspicuis.

Cerva enixa apposita est ob munus obstetricis, quo delectabatur Minerva; nam ipsa est, quæ Latonæ enitenti assedit, ut proditum ab Aristide oratione ad Minervam. Et ei rei indicandæ electa præ ceteris brutis cerva est, quæ post partum medicinis sibi consulit; nam feselim edit. Haud me latet, hæc aliter a Cicerone tradi libro de Natura Deorum, secundo: *Cerva, inquit, paulò ante partum perpurgant se quadam herbula, quæ feselis dicitur*. Hæc tamen stare non possunt; nam, ante partum omnis purgatio ob abortionis periculum noxia est. Exhibent quidem pastores in potu capris, ceterisque pecudibus ante partum feselim, sed non ut ipsæ purgent se, imò ut ita facilius suos foetus enitantur. Dioscorides de feseli Massilitano. *διδοται δὲ ἡ αἰξί,*

ἡ

ἢ τοῖς λοιποῖς κτίνεσι πρὸς εὐτοκίαν ποτόν. Sed dicere si  
 licet, quod sentio, credere par est, Ciceronem  
 scripsisse, aut certe scribere voluisse, *Paulò*  
*post partum*: ut qui sine dubio ante oculos  
 habebat, quæ de cervis Aristoteles narrat, eas  
 post partum seselim esse. Hoc enim faciunt,  
 ut se perpurgent. Verba e libro IX. Histor.  
 anim. hæc sunt. ὅταν τέκῃ ἰδίᾳ τὸ χορίον πρῶτον. ἢ  
 ἐπὶ τὴν σίσελιν δὲ τρέχουσιν. *Ubi peperit, fœtus in vo-*  
*lucrum edit primùm: tunc ad seselim currunt.*  
 His Plinius neglectis, & Ciceronis scriptura  
 deceptus, rei falsæ falsam causam reddidit  
 lib. VII. *Femina autem ante partum pur-*  
*gantur herba quadam, quæ seselis dicitur, fa-*  
*ciliore ita utentes utero.* Aliò eum vocare  
 debebat facilis, & aperta ratio. Nam sese-  
 lim si ederent cervæ ante partum, constaret  
 abunde non ad εὐφορίαν, idest ad uterum facile  
 gerendum: sed ad edendos feliciter fœtus ea  
 vesci, sive πρὸς εὐτοκίαν. Ita facile error ex erro-  
 re propagatur; nam illud potissimùm atten-  
 dere opus erat, quod caput rei est, cervas ante  
 partum ad seselim non ire, quamvis ea par-  
 turientibus profit, ut celerius pariant. Nul-  
 lusdum enim id observavit: neque Ciceronis  
 fe-

festinationi, si modò is ita scripsit, credendum est, sed Aristotele teste standum, cujus ille historiam referre in animo habebat. Et hætenus de hac controversia, quæ Dalecampium, Bodæum, Salmasium, Bochartum tantopere exercuit.

Manet nos ultimum spatium, quod est ad Manubrii calcem. In eo extat Pan arbori pomiferæ innixus, vultu tristi, qui dextra manu post tergus rejecta, sinistram porrigit hirco, qui in pedes posteriores erectus, fronte coniscat. In medio jacet humi fusa syringa septem disparibus calamis compacta, cui incumbit Copiæ cornu fructibus onustum. Aperta in speciem omnia; ecquis enim hæc prima facie statim se non interpretaturum recipiat? Aggressis tamen non ita facile singula ex voto procedent. Saltem, nisi conjectura assequi tentemus, frustra alias omnes rationes inibimus. Mihi ea animo sedet sententia, hæc non sine aliquo ad Mercurium respectu, qui in hircum mutatus Pana genuit, *συμβολικῶς* debere accipi, & morbos, præcipue febrim, demonstrare, quibus æque homines & bruta appetuntur, maxime per Autum-

S

num:

num : unde opis medicæ necessitatem colligere liceat . Hircus enim febrem designat , qua cum toto caprarum genere , ut veteribus traditum , perpetuò tenetur . Plinius lib. vii . cap. x. *Auribus eas spirare , non naribus , nec unquam febre carere , Archelaus auctor est .* Vereor , ne Plinius memoriæ lapsu erret , dum de caprarum febre Archelaum scripsisse tradit , qui de spiratione sola per aures loquutus est , ut ex Varrone intelligimus lib. i . de R. R. Alcmaeo quoque Crotoniata capras spirare ~~et~~ voluit . Quod Aristoteles verum negat de Hist. anim. lib. i . Hæc differere subtilius hujus loci non est . Nec quod de febre dicitur , facile concesserim . Decepit nimirum veteres capris uberius insitus naturalis calor , qui pulsu venarum celeri , ac frequenti febris speciem exhibet . Eam ob rem Cajus quoque Mœcenas continenter febre vexari putabatur . Non id morbus erat , sed naturalis quidam corporis habitus : in Mœcenate singularis : in capris totius generis . Et immeritò Varro venditores reprehendit , quòd sanas capras præstare auderent : *De emptione aliter dico , atque fit ,*

*fit, quòd capras sanas sanus nemo promittit, nunquam enim sine febrisunt. Quidvis ut sit, ex hoc factum est, ut capra Æsculapio sacrificaretur. Servius in Georg. 11. Capra Æsculapio (immolatur) qui est Deus salutis, cum capra nunquam sine febre sit. Factum quoque est, ut hircus febrim hìc demonstret, qui videtur cornibus minitari, & imperum facere in Pana, idest in homines, ferasq; quos Deus ille *διζωος*, & duplicis naturæ particeps, repræsentat: & quibus, ut veterum quidam contendunt, sine febre mori non contingit. Pan velut periculi securus, dextra in tergus rejecta, sinistram extendit deliniturus hircù. Quæ est mortalium negligentia non minus in vitandis, quàm in depellendis morbis. Et quidem se morbo implicitum esse, Pan duobus ostendit: primò vultu tristi, contra quàm ejus natura ferat, quem semper hilarem verustas fecit. Homerus in Hymnis *ἡδυλάωτα*, *sua-ve ridentem*, appellat: deinde syringa abjecta, quasi innuat, procul a se corporis harmoniam habere: nam sanitas harmonia est, & soluta in animantibus harmonia, ipsam simul naturam dissolvi, Plato in Philebo testatur:*

λέγουσιν τῆς ἀρμόσιαι μὲν λυομένης ἑμῇ ἐν τοῖς ζώοις, ἅμα  
 λύει τῆς φύσεως γίγνεται. Arbor demum pomifera  
 juxta Pana surgens, & Copiæ cornu, quod sy-  
 ringam premit, Autumnum indicant: quo  
 anni tempore morbi ferocius, & frequentius  
 ingruunt, & regnant, cū ob intemperiem,  
 & repentinas aëris mutationes, tum etiam  
 præ copia fructuum. Febres maxime quar-  
 tanas, & erraticas hominum vitam per id  
 tempus invadere, notat Hippocrates lib. I I I.  
 aph. XXI I. Uno verbo, mortes frequentes  
 sunt. Juvenalis Sat. x.

*Quot Themison agros autumnno occide-  
 derit uno.*

Dextrum Panis brachium post tergus re-  
 volutum in memoriam revocat nobile illud  
 Musivum, quod Lugduni repertum anno  
 CXDCLXX, evulgavit Spondius; nam & in eo  
 expressus est Pan, qui sinistram manum post  
 tergus abscondit, dextram verò ad alatum  
 puerulum extendit, eum prensurus in hu-  
 mero: qui contrà in ipsum utramque dirigit:  
 ambo alter ad alterum inclinati. Multa vir  
 doctus pro explicatione conatur: tandem,  
 le-

lectorem magna expectatione erectum, deferit. At non difficile erat videre, ob oculos poni Panis & Amoris luctam, ad quam ipsi eo gestu se accingunt. De ea lucta meminit Servius ad Eclog. 11. *A pœtis fingitur (Pan) cū Amore Deo luctatus, & ab eo victus.* Et eò respicere Virgilii illa opinatur, *omnia vincit Amor*; nam *πῶν*, cui proxime accedit *πῆν*, est *omne*. Stat Pan vultu irrisoris, ut qui pro nihilo habet Amorem, puerum, ad id pugnae genus rudem: in tantum, ut cum eo solum dextra manu se luctaturum spondeat, dum alteram in tergo rejicit. Momentum non leve huic conjecturae addit adstans *ἄρσεν*, qui dextra manu extensa cohortatur colluctantes, ipsisque animos facit: sinistra palmarum habet, præmium victori. Est enim *Ἀρσένειον*. Spectatrix assistit ex altera parte Hermaphrodite, id est Venus trunca, sine lacertis, instar Hermæ, turbini inverso imposita, oculis ad pugnam conversis. Ubra habet extantia, caputque variis redimiculis, vittisque ornatum. Illustre sane vetustatis monumentum, dignum quod hîc a nobis explicaretur.

Et hæc de Coli Manubrio, quantum con-

je-

jectura assequi potuimus, ubi nihil est, quod omissum a nobis quis queri possit. Proximum est, ut aliqua de ipso instrumento dicamus; nam Cola varii generis cùm fuerint, inspiciendum est ad quem potissimum nostrum, istuc fuerit delectum.

Erant Cola in œcis, & cœnaculis pro vino refrigerando. In deliciis olim fuit, vinum cum nive, glacieve mistum ebibere. Interdum enim nivis fragmina in cyathum immisisse, argumento sunt hæc Callistrati in Symmiectis. τῶν εἰνοχόων τοῖς ἄλλοις μισγόντων εἰς τὸ πρὸν χιόνῳ. *Qui erant a poculis nivem ceteris in potum miscentibus.* Quod videns Simonides poëta, unus ex convivis, sibi non ita ministrari ex tempore conquestus est:

ἐν τις ἐμοί γ' αὐτῆς χέτω μέρῳ. ἢ γὰρ ἔειπε  
θερμὴν βασιάζειν ἀνδρὶ φίλῳ πρόποσιν.

*Et mihi sis cyathoglaciei infundito micā;  
Non satis ex merito pocula calda dabis.*

Et id vinum cum nive mistum vocat Strattis in ψυχασαῖς. εἶνον χιόνι μεμιγμένον. Habes apud Athenæum lib. 111. Usurparunt etiam Arabes, & meminit Aben Sina 1. Fen. 11. cap. xvi. Ho-

Hodie Persas glaciei frustula cum vino, aut aqua in phialam indere Petrus Vallengis testis oculatus est.

Interdum vinum per mediam nivem transire cogebant: ad eamque rem paratum habebant Colum nive oppletum. Itaque affusum vinum per nivem sibi viam faciens, ex Coli foraminulis una cum nivis tabe exiliebat, cessurum in potum sitientibus. Vinum utro vis modo paratum ægrotantibus quandoque præbebant. Nam ita accipiendus Cælius Aurelianus, ubi de vinis cardiaco dandis: *Mediocriter* (inquit) *mista cum aqua frigida, ac recenti, vel nivium liquore.* Rasis quoque, & Aben Sina aliis in morbis potandam nivium tabem præcipiunt.

Non diffiteor, nivem aliquando in lintea immissam: at his non *Coli*, sed *Sacci nivarii* nomen erat; etsi enim *colandi* verbum generale sit, *Coli* tamen nomen a *Linteo* distinguitur: & confundi nisi magno errore non possunt. Martialis in Apophoretis dist. c. i. cui lemma, *Saccus nivarius.*

*Atte-*

*Attenuare nives norūt & lintea nostra:  
Frigidior colo non salit unda tuo.*

Duo nos docet, & saccum nivarium fuisse ex linteis, non ex aluta, aut vimine, cū ait, *lintea nostra*: & ei non impertitum nomen Colli, a quo segregat in illis, *frigidior colo*. Erat enim Colum nivarium ex ære, aut argento in ditiorum tricliniis, ut idem Poëta monet disticho præcedenti, ubi *Colum nivarium* ita loquitur.

*Setinos, moneo, nostra nive frange trientes;  
Pauperiore mero tingere lina potes.*

Hæc ferme nota; illud fortasse hætenus ignoratum, Cola crateri, aut cyatho fuisse imposita, ut vinum per nivem ἀπέρας in poculum, quo bibebant, exiliret; ita enim amoto Colo frigidius forbebatur. Quare parabantur Cola ejus magnitudinis, ut calici per interiorē oram possent committi. Apud Pol lucem hæc leguntur lib. VI. cap. 11. ἐν μὲν τοῖς ἀμμιονεῦταις ἢ ἡδμῶς τις ἐπὶ κρατῆος πέπταται. *In publicis auctionibus etiam Colum super cratere venditum fuit.* Colum nempe nivarium, non  
Co-

Colum prælorum, ut absurde explicat Henr. Stephanus. Colum prælorum est corbis. qui verò corbis super cratere? Huc etiam faciunt illa Hellenici in Ægyptiacis: *αἰγυπτίων ἐν τοῖς οἴ-  
κῳις χρῆται φιάλῃ χαλκῇ, καὶ κύαθῳ χαλκῷ, καὶ ἡθάνιον χάλ-  
κεον.* *In Ægyptiorum œcis est phiala, cyathus,  
& colum* (seu mavis, *exiguum colum*) *ex  
are omnia.* Fluctum in simpulo movet Ca-  
saubonus ad Athenæum lib.xi.cap.vi, cùm  
dubitât, an hîc ἡθάνιον colum sit. Cur ita?  
nempe, quia inter pocula ab Hellenico com-  
putatur. Fac ita esse; quid tum? an non Co-  
lum nivarium in poculorum censu est? Pom-  
ponius in L. in argento. D.de auro, & argen-  
to legato. *In argento patorio utrum id dum-  
taxat sit, in quo bibi possit: an etiam id, quod  
ad preparationem bibendi comparatum est,  
veluti Colum nivarium, & urceoli, dubitari  
potest. Sed propius est, ut hac quoque insint.*  
Visum est Icto Colum nivarium in numero  
poculorum esse: cur idem Græco Historico  
videri non potuit? qui illud cyatho conjun-  
git, cui imponi moris erat: ut & phialæ, ex  
qua vinum diffundebatur, ut per Colum ni-  
ve plenum in cyathum spargeretur.

T

Et

Et ecce metalla, ex quibus Cola nivaria fundebantur; nam alii ex argento habuerunt, ex ære alii. Hoc cognoscimus ex Hellenico, illud ex Pomponio. Hodie lautiores calicem duplicem ex uno argento ductum, sibi parant, mediamque interserunt nivem, tum affusum vinum sine ulla nivis tace bibunt.

An ad hunc usum comparatum credimus Colum nostrum, ut & ipsum inter Cola nivaria sit? Multa sunt, quæ ab hac sententia revocant. Primò nimia ejus magnitudo, quæ facile poculum quodcunque excedit; est enim septunce latum, altum triente: scilicet utraque mensura ab ora inferiori accepta. Quod poculum huic Colo excipiendum est? nisi forte Cyclopis *κισσύβιον* sit. Deinde, quòd in manubrii sculptura nihil omnino cernere sit, quod ad vinum, & convivia trahere possis. Simili de causa nec pertinebit ad Cola culinaria, quæ memorat Chrysippus Tyaneus in Artocopico. is describens placentæ genus, quod *Catillum ornatum* Romani vocabant, ait: *καὶ ἐπεὶ εἰς ἔλαιον θερμότατον, εἰς ἡθρόν βαλὼν τὰ κατεκεκομμένα.* *Et coquito in oleo ferventissimo,*  
*fru-*

*frustulis in Colum coniectis*. Ita nec pertinebit ad Cola rustica, quæ non erant, nisi corbes, per quos vinum liquabatur, ut Grammatici explicant illa Virgillii Georg. I. 1.

---- *Tu spisso vimine qualos;  
Colaque pralorum fumosis deripe tectis.*

In quo etiam genere erat *Saccus vinarius*; quanquam hunc in cœnaculis quoque fuisse pro vino castrando indicat Martialis libro I. 1, ubi de apparatu cœnæ pro Tongilio ægrotante, hæc habet.

*Cæcuba saccentur, quaque annus coxit  
Opiml  
Condantur parco fusca Falerna vitro.*

Recte omnino, Vir Clarissime, existimas, nostrum Colum in Medicorum supellectili fuisse. Colabant enim Medici non modò per lintreum, sed etiam per Colum: utrumque duplicem ob causam, vel ut succus liquidus legeretur, recremento in fundo subsidente abjecto: vel contrariè materia exucca posset reponi, humore inusili expresso. Quæ & per se clara, & in veterum Medicorum libris obvia, testem

non desiderant. Linteorum maxime erat usus, ubi succi liquidissimi expetebantur. Marcellus Empiricus cap. vii i. de xerocollyriis: *Ut liquidius facias, deinde per linteolum delicatum colabis*. Fuit, cum nihil pensi habuerunt, per linteum ne, an per colum eliquaretur. Scribonius Comp. ult. *Colantur per linteum, vel ex junco factum de industria colum*.

Habes jam Colum Mediolum ex junco. Et quidem, quod meminerim, nusquam apud Medicos Coli metallici expressa mentio occurrit, sed ex junco, & palma. Quin verò pro eo possit ex ære, ut nostrum est, vel ex argento, ut apud quosdam diligentissimos Sepiasarios vidimus, substitui, vix est ut dubitem. Scilicet, si Colum prælo subjiciendum non sit: ad quam rem vase textili opus est. Ita Columella ex olivis in fiscinam conjectis oleum elicit. Ægyptii semina ricini in sportulam inclusa torculari premebant, ut apud Dioscoridem, & Actuarium extat.

Erat apud Medicos Colum in usu ad plura, sed præsertim ad vina medicata, quæ Plinius *factitia* appellat, & ad unguenta. De vinis huius sermonem instituens Dioscorides, sæpe

τῇ ἀλλήλῃ, & ἀπηθῆν mentionem injicit : at de vasis genere, quo hæc percolatio fieret, nobis divinandum reliquisset, nisi aliorum scripta, quod ipse tacuit, declararent. Hi sunt Palladius, & Columella, qui hæc Medicorum vina patrem familias etiam sibi parata habere voluerunt. Palladius ergo in Februario cap. xxvii. de vino Myrtite hæc habet : *Palmea sporta colabis*. Et de eodem Columella lib. xii. *Et per colum junceum liquatum succum lagūculis bene picatis condunt*. Ejus etiam conditionis erant Cola, quibus trans mittebantur unguenta : & hæc ignorare nos Dioscorides noluit; nam in unguento Elatino, & Cyprino nominat *σπυρίδα, sportulam* : in Ocimino, & Susino *κυστίδα, & κυστίδιον, qualum, & quasillum*. Κυστίδα Nicandri interpres in Alexipharmacis vas esse ex tenui junco, & ab unguentariis, qui eo unguenta exprimebant, ὑλισήριον, & ὑλίσριον appellari testatur.

At recepta deinde a Græcis Arabum medicina, Colorum usus in Drosatis, & Catharticis frequens esse cœpit. Δρόσας Græci recentiores vocarunt, quod Arabes *scerap*. Ea Nicolaus Alexandrinus σκεκίζεν, seu per saccum trāsmitte-

tere jubet in Drosato absinthite, ex iride, & alibi sæpe Sectione v i i i. Nec tamen *sacci* nomen materiam explicat, cum saccus ex lino, pelle, & vimine fuerit: explicat solum formam, quæ metæ inversæ similis erat, ut alicubi Columella monet. Cathartica verò Actuarius non unis modò sacculis, sed aliquando etiam fiscis transfundit, ut in Ruellii versione legitur; Græcus enim liber nunc ad manus non est.

Meminit etiam Herbarius Græcus de Cololaxiori, quo utebantur, qui Styracem vermicularem conficiebant, lib. i. cap. lxxviii. *ἡ δὲ ἰσχυρὴ ἐκδιέλθων εἰς ὕδωρ ψυχρὸν, ποτὶς ἐκώλκιον* *Per Colum, quod latioribus foraminibus sit, in frigidam aquam veluti vermiculos exprimunt.* Nam *ἰσχυρὸς* hic *Colum* est, non *incerniculum*, ut minus recte viri doctissimi volunt. Mirum quid eos moverit: nam *Colum* cur eis displiceret, causæ non erat. Et *Colum* jam Hermodorus fuerat interpretatus. Et, ut plane dicam, quod sentio; auguror, huic potissimum usus nostrum *Colum* fuisse destinatum. Suadet id, quòd foramina grandiuscula sunt, ut Dioscorides exigit: suadet etiam, quòd ad hos vermiculos parandos inepta sunt Cola ex junco, aut pal-

palmas & omnino ex metallo expetuntur. Potissimum dico; nam ad unguenta, & vina medicata, & id genus alia aptari potuisse melius, quàm sportas, & qualos, manifestum est.

Vides interim artificis ingenium, dum eo instrumēto mammæ formam imitatus est, quæ per papillæ foramina lac ejaculatur. Et proxime ad consuetam Coli formā accessit, quæ infundibulo, vel sacco vinario similis erat. Docet id Cratinus in Nomis, ubi camum vocat *κῆμον*; *Colum*, ob figuram scilicet utrique communem. Camus est vas, coni inversi instar habens, in imo pertusum, per quod in Attico foro iudices calculos sinebant in subjectum cardiscum dilabi. Extat de eo elegans Eubuli griphus. Inde fit, & *Colum* simile coni esse, a quo nostrum non longe abit. Verba Cratini apud Interpretem Aristophanis in Equitibus ita leguntur, *κῆμον*; *κῆμον*. Emendant ex Hesychio, *κῆμον*; *κῆμον*, *Colum junceum*. Quod probare non possum; nam *Colum*, junceum cum fuerit ut plurimum, nihil Cratinus apposuisset, quod de camo nos admoneret. Lego *κῆμον*; *κῆμον*, *Colum suffragiarum*; nam *κῆμον* erant conchæ marinæ, quibus olim iudices suffragia fe-

ferebant. Quod acute dictum esse quis neget? Prius illud friget. *καρίνως*. Græci satis habent dixisse, *κόγχας τινὰς θαλάσσιας*. Nec præterea quidquam addunt. Sunt tamen conchulæ *μονόθυροι*, testa una tectæ, eaque lævi, & in se ipsam revoluta, oblongæ, ac veluti gibbæ, quas ut Græci, ita & nostri a *porculis* appellant. Aliæ majores, glandem æquant, parte supina colore gilvo, prona albo: minores aliæ, ut nuclei pinei, sed breviores, candidæ, aut fuscæ. His Athenienses in ferendis sententiis usi. Candidæ Romanorum A, fuscæ C valebant.

Et hæc sunt, Vir Illustrissime, quæ hortatu tuo, quantum per multiplices occupationes curasque meas licuit, deproperavi; quæque non aliter probaturus sum, quàm si tibi non displicere intelligam; soleo enim meæ sententiæ diffidere, ubi tuæ plane non congruere sentio. Et quamvis quæ disputavi, longe abeant a sententiâ P. Claudii Francisci Menestrier, nihil tamen his literis detractum velim viro omni laudis genere præstanti, quem honoris causa nomino, qui viam, & quidem primus, diligentia sua ad hujus Instrumenti explicationem aperuit. Sunt enim hæc ex verisimili ductæ  
conje-

conjecturæ: & non ut verum, ita & verisimile unum est. Sæpe de eadem re plura probabilia excogitantur, quorum ita alterum probes, ut non propterea alterum despicias. Unum veluti pro corollario addam. Notat ipse erudite, olim Christianos vinū in Calicē colis infudisse, quæ essent tenuissimis foraminulis pervia. Adjiciamus, si placet, Hebræos, ne culicem, vel quam aliam bestiolam lege immundam, sorbendo, deglutirent incauti, vinum & ipsos percolasse. Ad quem ritum alludit Hebræorum proverbium apud Matthæum cap. xxiii. οἱ δουλίζοντες τὸν κώνυπα, τὴν δὲ κάμηλον καταπίνοντες: *qui culicem excolant, camelum autem glutunt.* Nam id adagium fuisse monet doctissimus A Lapide. Hoc interest, quod Christiani eliquabant Colo, & quidem argenteo, ut ex Anastasio Bibliothecario discimus, cujus hîc verba recitem necesse est. In Sergio i i. *Colatorium de argento deauratum unum, quo in sacro utuntur officio.* Et in Benedicto i i i. *Fecit Calices de argento purissimo duos, & Patenam unam, Colatorium unum, Cantharum unum, Thymiamaterium unum, pensantia simul libras*  
V qua-

*quatuordecim*. Non sic Hebræi, qui linteis utebantur; nam in Talmud de Sabbatho cap. x legitur: *Qui percolant vinum* (besudarin) *in sudariis*. Vale.

F I N I S.



Er.

# Errata

# Corrige.

| Pag. 8, 9. | AUSTORNIUS.    | C. AVSTRVNIUS. |
|------------|----------------|----------------|
| 8. 12.     | ÆN.            | AEN.           |
| 19. 8.     | quadri         | quadrati.      |
| 21. 13.    | laquearibus    | e laquearibus. |
| 23. 13.    | oblitus        | oblitum.       |
| 26. 25.    | Porticum       | Porticuum.     |
| 31. 2.     | Porticorum.    | Porticuum.     |
| 36. 1.     | faticando.     | fatigando      |
| 48. 1.2.   | laxitudo.      | laxitas.       |
| 53. 2.3.   | suboluerat.    | suboluerat     |
| 57. 10.    | vivo           | vivus.         |
| 60. 13.    | post.          | pòst.          |
| 63. 22.23. | deductæ        | diductæ.       |
| 63. 18.    | seu tonis, seu | cum tonis, &.  |
| 62. 23.24. | odoravit       | odoratus est.  |
| 66. 11.    | eidem          | eiusdem.       |
| 86. 17.    | Φύστος         | Φύστος         |
| 107. 11.   | Philistionem   | Philistionem.  |
| 114. 3.    | finit          | desinit.       |
| 122. 3.    | consensiant    | consentiant.   |
| 122. 4.    | responsum      | responsum.     |
| 126. 18.   | νηπίς          | νηπίς.         |
| 131. 9.    | ἐκόνια         | ἐκόνια.        |
| 142. 4.    | generis        | usus.          |

*1 pro l' alicubi occurrit, characterum inopia.*

*In Epist. nuncupationis pag. 2. 18. videberis. videbaris.*

*Pag. 78. 16. Geometrica, dupla verò ratione. Rescribo.  
Arithmetica, excessu ipsi termino equali.*









